Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0001-0

Copia Erasmi
Cæsariu,
Et hira. Philip:

Cicero ad Fam: epist: 23 lib:

Credulitas magis error est quam culpa. & quidem
in optimi cuiusque mentem facillime irrepit.

Mart:
Turbabis uersus nec litera tota uolabit
Vnam perdideris si Palemedis auem.
Intelligit Poëta Grues quandoque autumno
discedunt ducem sequentes inter uolandum ordine
ac serie Λ lamptha græcum fit.

a) 328

b) 313

XVII, 348.

1 Am 1

ELEMENTORVM RHETORICES LIBRI DVO

RECENS RECOGNITI AB AVTORE PHILIPPO MELANCHTHONE.

His adiectæ ſunt Epiſtolæ contrariæ PICI & HERMOLAI BARBARI

Vnà cum diſpoſitione PHIL. MEL.

Acceſſit demum Index & rerum & uerborum locupletiſſimus.

LIPSIAE
IN OFFICINA VALENTINI PAPAE.
ANNO
M D XLV.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0003-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0004-7

PHILIPPVS MELANCHTHON STVDIOSIS ADOLESCENTIBVS, ALBERTO ET IOANNI REIFFENSTEIN, GVIELMI FILIIS

S. D.

Cum ante biennium Dialecticen ediderim, eámq; uiro optimo patri ueſtro dedicauerim, ut uobis & commilitonibus ueſtris, ſi ita uideretur, diſcendam proponeret. Cúmq; intellexerim uos iam in eius artis ſtudio fœliciter uerſari, duxi uobis & Rhetoricen mittendam eſſe, ut cognatas artes coniungeretis, quæ ita copulatæ ſunt, & inter ſe deuinctæ, ut rectius ſimul ambæ percipiantur, quàm ſeorſum alterutra.

Quo conſilio autem initio Dialecticen ſcripſerim, iſtic præfatus ſum. Non enim edidi, ut locupletiores autores excuterem ſtudioſis è manibus. Spero enim illa noſtra elementa his, qui ad Ariſtotelem acceſſuri ſunt, adiumento, & ut Græci dicunt, πρὸ ὁδοῦ futura eſſe. Sed tunc in ſcolis neceſſaria præcepta, & ad iudicandum utilia iacebant obruta ſtultiſſimis rixis, nihil ad rem pertinentibus. Ad hæc, de uſu artis in bonis autoribus legendis, aut grauibus controuerſijs iudicandis, nemo quidquam monebat. Deniq; prorſus adulterina Dialectica pro natiua tradebatur. Itaq; rogatus à quibuſdam, ex illis immenſis uoluminibus elegi neceſſaria præcepta, quorum uis atq; uſus antea con-

ſpici non poterat, cum laterent in turba aliarum inutilium præceptionum. Addidi & exempla, ſumta ex optimis autoribus, in quibus artis uſus cerni poſſet. Hæc elementa eo tempore multi probabant hoc nomine, quòd diligenter de uſu artis admonebant. Quare cum ſperarem ea adoleſcentibus profutura eſſe, nõ ualde repugnaui his, qui me ad editionem hortabantur. Nihil autem minus uolui, quàm ab alijs bonis ſcriptoribus artis abducere iuuentutem. Ariſtoteles profectò intelligi non poteſt, niſi ad eum ſummam artis, & aliquid iudicij præparati afferamus. Quare hæc elementa non deterrent ab Ariſtotele, ſed inuitant ſtudioſos ad eius lectionem. Extant & Rodolphi Agricolæ libri, quos diligentiſſimè legendos eſſe cenſeo. Nuper editi ſunt libri Ioannis Cæſarei, qui totam artem continent, & ad captum primæ ætatis ſcripti ſunt. Quare optarim eos proponi adoleſcentibus, in omnibus ſcolis, pro iuſta Methodo. Certè his, qui meos libellos legunt, conſulo, ut adiungant Cæſareum & Rodolphum, quod qui fecerit, mihi quidem abſoluiſſe artem uidebitur, ac perfectus artifex erit, ſi uel ſcribendo, uel diſputando, uſum artis ſibi fecerit. Hæc iterum hoc loco præfari uolui, non ſolum ut rationem mei conſilij, cum hoc totum doctrinæ genus mutaſſe uideri queam, exponerem, ſed etiam ut admonerem ſtudioſos, quomodo abſoluere hoc ſtudium debeant. Quòd autem edidi Rhetoricos libellos, longè aliæ cauſſæ fuerunt. Non enim poſſum huius artis ſcriptores accuſare, quemadmodum uituperaui uulgus Dialecticorũ. Nulli enim extant autores niſi optimi, Cicero & Quintilianus, ꝗ quidẽ in hoc genere adeò excellunt, ut

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0006-8

ſunt, ut longè Græcos omnes, quorum uidimus ſcri-pta, uicerint. Et Cicero uaria opera reliquit, quorum quædam ad puerilem captum ſcripta proponi adoleſcentibus poſſunt, ut præparent eos ad alios libros, qui grauiora præcepta continent, quare non eſt cur deſiderentur ſcripta recentium. Verum nos initio edidimus Rhetoricen, ut cognationem eius cum Dialectica oſtenderemus. Neq; enim intelligi Dialectica, niſi ad Rhetoricen collata, poteſt. Et hos meos libellos ſpero profuturos his, qui poſtea legent Ciceronem & Quintilianum. Quædam enim illorum præcepta explicamus, & exempla addimus, ſumta ex præſentibus negotijs, ex quibus facilius intelliguntur præcepta, quàm ex iſtorum exemplis, quæ ſunt ab uſu noſtro remota. Hæc conſilij noſtri ratio initio fuit.

Quanquam autem ipſa præcepta Rhetorices, leuia & perquam puerilia uidentur, tamen hoc ſibi perſuadeant adoleſcentes, & ad iudicandum, & ad maximas cauſſas explicandas prorſus ea neceſſaria eſſe. Quare etiam adhortandi ſunt, ne his noſtris libellis immorentur. Sed cognitis his elementis, Ciceronem & Quintilianum legant, nec deguſtent obiter, ſed diu multúmq; legant autores illos, non ſolum ad eloquentiam, ſed etiam ad ſapientiam profuturos, & diſcant ex eis eloquentiam metiri magnitudine ſua. Videmus enim uulgo quoſdam ſciolos eſſe, qui ſomniant ſe in arce eloquentiæ ſedere, poſtquam didicerunt Epiſtolium ſcribere octo aut decem uerſuum, in quo duo aut tria inſint hemiſtichia aut prouerbia, quaſi emblemata. Hæc opinio iuuenibus eximenda eſt, & oſtendendum, quibus in rebus eloquentia dominetur, quòd uidelicet

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0007-4

delicet neceſſaria ſit ad maximas ac difficillimas cauſſas omnes, in hac tota ciuili conſuetudine uitæ explicandas, ad retinendas religiones, ad interpretãdas ac defendendas leges, ad exercenda iudicia, ad conſiliũ dandum Reipublicæ in maximis periculis. Diligenter & hoc monendi ſunt ſtudioſi, rem unam eſſe omnium humanorum operũ longè difficillimam, bene dicere. Etenim qui magnitudinem eloquentiæ, & rei difficultatem conſiderabit, intelliget expetenti hanc laudẽ, acerrimum ſtudium omnium maximarum artium adhibendum eſſe, & ſtatuet, ad magnarum & difficilium cauſſarum tractationem in Eccleſia, & in Republica, non tantum hos Rhetoricos libellos, ſed perfectam doctrinam & magnam facultatem, longam exercitationem domeſticam, & acerrimum iudicium afferendum eſſe. Has opiniones prodeſt inſerere animis iuuenum. Efficiũt enim, ut honorificentius de maximis artibus ſentiant, quod multũ referre exiſtimo, & acuunt diſcendi curam, & diu detinent eos in ſtudijs, ne ante tempus & imparati, accedant ad Rempublicam. Porrò hæc & ſimilia ſæpiſsimè monet ipſe Cicero in Oratorijs libris. Quamobrem & paulo antè diximus, eos non ſolum ad eloquentiam, ſed etiam ad ſapientiam profuturos eſſe. Itaq; hoc præcipuè efficere cupimus his noſtris libellis, ut præparemus adoleſcentes ad illorum optimorum librorum lectionem. Vobis autem dedicare conſtitui, quoniam Dialecticen antea uobis miſi, ut hoc ipſo exemplo admonerem ſtudioſos, has artes coniungendas eſſe, nec alteram ſine altera perfectè cognoſci poſſe. Ac prius illud munus imperfectum uideri poterat, niſi Rhetorica acceſsiſſent. Cum

ſent. Cum autem me ſemel uobis obligaſſem promiſſa Dialectica, uerebar ut uobis ſatisfactum eſſet, niſi munus integrum haberetis. Precor autem, ut Chriſtus ſtudia ueſtra gubernet & fortunet. Bene ualete.

LIBER PRIMVS DE ELEMENTIS RHETORICES.

INITIO MONENDI ſunt adoleſcentes, quem ad uſum communia præcepta Rhetorices primum tradita ſint. Legent enim libentius, ubi cognouerint, quam inde auferre debeant utilitatem. Homines acuti & periti, qui primi hanc artem genuerunt, nequaquam hoc ſenſerunt, hæc præcepta efficere homines eloquentes, aut ad eloquentiam comparandam ſufficere. Nam eloquentia primum uim naturæ maximam ad dicendum, deinde multarum bonarum rerum ſcientiam requirit. Multa igitur & magna adiumenta, tum à natura, tũ à doctrina, præter hæc communia præcepta, ſumit.

Habent tamen & ſuam utilitatem præcepta. Docet enim natura homines uiam quandam atq; rationem, magnas & obſcuras cauſſas explicandi, quam homines magna quadam ui ingenij præditi, partim beneſicio naturæ animaduertere, partim uſu deprehendere ſolent. Hinc extitit ars, quæ etiamſi regit artiſices in dicendo, tamen in hoc initio traditur, non ut Oratores efficiat, ſed ut adiuuet adoleſcentes in legendis orationibus excellentium Oratorum, et in longis controuerſijs iudicandis. Neque enim tantum his, qui cauſſas acturi ſunt, præcepta propoſita ſunt, ſed in commune uoluerunt autores artis conſulere omnibus. Nam etiam hi, qui non agunt cauſſas, qui nihil ſcribunt, ſi tamen uelint legere aut iudicare res magnas, ut religionum controuerſias, aut forenſia negotia, uia quadam atq; ratione opus habent, ad intelligendas longas controuerſias. Nemo enim poteſt longas contentiones & perplexas diſputationes animo complecti, niſi arte aliqua adiuuetur, quæ oſtendat ſeriem partium, & interualla, & dicentium conſilia, & uiam tradat, res obſcuras explicandi ac pateſaciendi. Hæc utilitas mouit homines prudentes, ad excogitanda præcepta, ut in commune conſulerent omnibus, & adoleſcentes, non tam ad rectè dicendum, quàm ad prudenter intelligenda aliena ſcripta, præpararent. Atq; idem uidebant, ut aliarum rerum artiſices, ita Oratores imitatione fieri. Quare ſi qui erant in turba diſcentium, quos natura ad dicendum idoneos finxerat, hos, poſtquam didiciſſent uiam intelligendi & iudicandi diſertorum orationes, in forum et ad cauſſas deducebant, & iubebant in agendo magnos &

gnos & excellentes Oratores intueri atque imitari. Quare & nos ad hunc uſum tradimus Rhetoricen, ut adoleſcentes adiuuent in bonis autoribus legendis, qui quidem ſine hac uia, nullo modo intelligi poſſunt. Quod enim ita ſit, ſatis apparet, hæc præcepta neceſſaria eſſe omnibus. Deinde autores intellectos imitari non difficile erit his, qui à natura ad dicendum adiuuantur. Etenim neque ſine imitatione effici Oratores poſſunt, neq; imitatio ſine præceptorum cognitione procedit.

Eloquentia, facultas eſt ſapienter & ornatè dicendi. Nam ad bene dicendũ in primis requiritur perfecta earum rerum cognitio, de quibus oratio inſtituitur. Inſania eſt enim, non eloquentia, de rebus ignotis & incompertis dicere. Cum autem rerum cognitio ad dicendum neceſſaria ſit, oportebit Oratorem harum artium, quæ rerum ſcientiam continent, non eſſe rudem. Quid enim de religione, de natura rerum, de Iure, deniq; de ulla uitæ parte dicet is, qui doctrina illa non inſtructus eſt, quæ eas res continet?

Rhetorica uerò eſt ars, quæ docet uiam ac rationem rectè & ornatè dicendi. Voco enim Rhetoricen hæc præcepta, quæ pueris traduntur, quorum cognitio, etſi neceſſaria eſt ad eloquentiam, tamen eloquentia præter hanc artem, alia multa adiumenta, tum naturæ, tum doctrinæ requirit. Tenent enim præcepta docti omnes, in quibus multi ſunt infantes, quibus tamen opus eſt hac arte ad iudicandum, quemadmodum & Dialectica ad iudicandum opus habent omnes. Vt autem Dialecticæ finis eſt, iudicare, Vtrum in docendo aptè conſentiant omnia. Itẽ, in docendo ſequi certam

tam uiam: ita & Rhetoricæ fines conſtituamus, indicare de longa oratione, qualis ſit partium ſeries, quæ ſint præcipua membra, quæ ſint ornamenta. Item, in dicendo etiam, in his, qui non deſtituuntur à natura, efficere, ut oratio certas partes habeat, & res magnas non exponat breuiter, ut Dialectica, ſed addat uerborum lumen.

DE OFFICIIS ORATORIS.

Cum oratio omnis, rebus ac uerbis conſtet, rerum prior eſſe cura debet, poſterior uerborum. Quinque igitur numerantur officia Oratoris. Inuentio, Diſpoſitio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio. Primum enim dicturo, res ſeu inueniendæ, ſeu eligendæ ſunt, & cũ ſunt inquiſitæ, ordine explicandæ. Verſantur igitur inuentio & diſpoſitio circa res, Elocutio uerò circa uerba. Nam ea, quæ excogitauimus, & ordine apud animum diſpoſuimus, poſtremò uerbis ſignificantibus exponenda ſunt. Et in his tribus partibus ferè tota ars conſumitur. Itaq; nos de alijs duabus partibus nihil præcipiemus, quia memoria parum admodum ab arte adiuuatur. Actio uerò longè alia nunc eſt, quàm qualis apud ueteres fuit. Et quid maximè in agendo deceat, in foro diſcendum eſt imitatione. Videmus ueteres maximè uerecundiam in agendo probaſſe. Laudat enim Aeſchines Solonem, quòd inter dicendum ne quidem manus extra pallium protulerit, ſignificans ſedatam miniméq; concitatam actionem maximè decere.

DISCRIMEN DIALECTICÆ & Rhetoricæ.

Tanta eſt Dialecticæ & Rhetoricæ cognatio, uix ut diſcrimen deprehendi poßit. Quidam enim Inuentionem ac Diſpoſitionem communem utrique arti putant eſſe, ideo in Dialecticis tradi locos inueniendorum argumentorum, quibus Rhetores etiam uti ſolēt. Verum hoc intereſſe dicunt, quòd Dialectica res nudas proponit. Rhetorica uerò addit elocutionem quaſi ueſtitum. Hoc diſcrimen etſi nonnulli reprehendūt, ego tamen non repudio, quia & ad captum adoleſcentium facit, & oſtendit, quid Rhetorica maximè proprium habeat, uidelicet elocutionē, à qua ipſum Rhetorices nomen factum eſt. Ac ſi quis ſubtiliter exiſtimabit, intelliget hoc diſcrimen rectè defendi poſſe. Si enim Rhetorica non tantum uerſatur circa forenſes et ſuaſorias materias, ſed in genere circa omnes materias, de quibus dicendum eſt, nullo modo poterit ab ea diuelli Dialectica, quæ eſt ratio perfectè docendi. Sæpe enim Orator utetur hac uia in docendo, ut Cicero in primo officiorum, & in alijs multis diſputationibus, præcepta Dialectica ſequitur in docendo, & addit elocutionem ex Rhetorica. Et noſtris temporibus idem faciunt homines eruditi & copioſi, cum docent homines de Religione.

Veteres ita diſcernebant: Rhetoricæ tribuebant forenſes & ſuaſorias materias, Dialecticæ uerò omnes quæſtiones alias, de quibus certa quadam Methodo & ratione docendi ſunt homines. Iuxta hoc diſcrimen proprius Dialecticæ finis eſt docere, Rhetoricæ autem permouere atq; impellere animos, & ad

adfectum aliquem traducere, ut cum de natura uirtutis diſputamus, Dialectica conſulenda erit, quæ quid ſit uirtus, & quas habeat cauſſas, partes, effectus, oſtendat. Cum autem ad uirtutem colendam homines adhortamur, loci Rhetorici ſequendi erunt. Cum de natura pœnitentiæ dicimus, cúmq; docemus homines, quid ſit pœnitentia, quas habeat partes, ſequenda erunt præcepta Dialectices. Adhortatio autem ad pœnitentiam, adhibet locos Rhetoricos.

Sed quia ratione docendi Rhetores non poterant carere, præſertim in materijs forenſibus, ideo Dialecticen etiam admiſcuerunt ſuo operi. Nam Finitiuum ſtatum, quem in iudicialibus materijs recenſent, à Dialecticis mutuo ſumſerunt. Is ſtatus eſt ratio informandæ Methodi, quam tradit Ariſtoteles in ἀναλυτικοῖς. Accerſunt ex Dialectica & formam ſyllogiſmorum, & pleraq; alia præcepta. Ita admixta Dialectica Rhetoricæ, non poteſt ab ea prorſus diuelli, etiam cum Rhetoricæ tantum forenſes & ſuaſoriæ materiæ, & laudationes tribuuntur.

DE TRIBVS GENEribus cauſſarum.

In locis inuentionis primum genera cauſſarum diſtribuuntur. Id hoc conſilio fit: In tanta uarietate negociorum, diuerſæ quaſi claſſes locorum faciendæ fuerunt. Nam aliæ materiæ, alios requirunt locos. Ideoq;, ne, ſi omnes loci in unum aceruum congeſti eſſent, difficilis eſſet electio, materiæ diſcernuntur, ut cuilibet generi ſui loci ſubijci poßint, & deprehenſo genere cauſſæ, quaſi regione, ſtatim ſciat unuſquiſq;,

quibus

quibus locis tota res includi debeat. Quas autem utilitates præterea habeat hæc negociorum partitio, paulo pòſt oſtendemus, propoſitis exemplis.

Vulgo tria numerant genera cauſſarum. Demonſtratiuum, quo continetur laus & uituperatio. Deliberatiuum, quod uerſatur in ſuadendo & diſſuadendo. Iudiciale, quod tractat controuerſias forenſes. Ego addendũ cenſeo διδασκαλικὸν genus, quod etſi ad Dialecticam pertinet, tamen ubi negociorum genera recenſentur, non eſt prætermittendum, præſertim, cum hoc tempore uel maximum uſum in Eccleſijs habeat, ubi non tantum ſuaſoriæ conciones habendæ ſunt, ſed multò ſæpius homines Dialecticorum more, de dogmatibus Religionis docendi ſunt, ut ea perfectè cognoſcere poßint. Eſt autem διδασκαλικὸν genus, Methodus illa docendi, quæ traditur in Dialectica, cuius particulam retinuerunt Rhetores in ſtatu finitiuo. Eſt & demonſtratiuum genus, affine διδασκαλικῷ generi. Plerunq; enim eſt definitio, ſed amplificata ornamentis Oratorijs, ut tanquam pictura, ab imperitis magis conſpici poßit, ut ſi quis laudet leges, & de autoritate legum dicat, is definiet leges, & definitionem amplificabit. Pſalmus, Dixit Dominus, rectè in hoc genere ponetur, laudat enim Chriſtum. Atq; hæc laudatio ſimpliciter definitio quædam eſt, deſcribit enim perſonam Chriſti, commemorat eius òfficia, exponit Dominum eſſe, qui à dextris Dei ſedeat, hoc eſt, pari potentia cum Deo regnet, addit ubi pditurus ſit, uidelicet in Sion, quod ſuperaturus ſit hoſtes. Erit & ſacerdos, inquit,

per quem

per quem placabitur nobis Deus. Et addit qualis ſit futurus ſacerdos, uidelicet æternus, non Leuiticus, ſed qui benedicat, qui annunciet remiſsionem peccatorum. Deinde deſcribit ſupplicia impiorum, qui huic Domino aduerſantur. In fine ſubindicat etiam ipſum Dominum communes afflictiones ſubiturum eſſe, ex quibus tamen reuiuiſcet. Si quis hoc modo animaduerterit Pſalmum eſſe deſcriptionem Chriſti, & ſingulas partes ad definitiones Dialecticas ſciat referendas eſſe, is planè intelliget Pſalmum, & cum erit opus, ex definitionibus partiũ facilè illuſtrabit omnia, & amplificabit. Sunt autem aliæ multæ ſpecies horum generum, quas enumerare non eſt opus. Facilè enim eſt iudicare, quæ ſpecies ad quod genus pertineant. Ad Demonſtratiuum pertinet gratiarũ actio: laudamus enim beneficium. Talis eſt oratio pro M. Marcello. Sub deliberatiuo ponendæ ſunt petitiões, commendationes, deprecationes, conſolationes, obiurgationes, & aliæ multæ ſpecies, quas recenſet Eraſmus in ratione ſcribendarum Epiſtolarum.

AD QVID CONDVCAT
noſſe genus cauſſæ.

Vt ſciant adoleſcentes, quando debeant conſulere locos inuentionis, primum hoc meminerint, locos non conferre ad inueniendum negocium, ſeu primam quæſtionem. Tempora enim offerunt negocium, ut litigator defert negocium ad cauſidicum. Docenti in Eccleſia, certa materia in ſacris literis præſcripta eſt, quam explicare debet. In Epiſtolis ſcribendis uariæ occaſiones, uaria offerunt argumenta. Itaque non

traditur

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0016-4

traditur ars, non traduntur præcepta de negocijs inueniendis, illa uerò ultro ſe offerunt, ac fugientes etiam perſequuntur. Et ad hoc ars tota excogitata eſt, non ut per ludum ocioſas materias quæramus, ſed ut graues, magnas & obſcuras cauſſas, quas offert nobis Reſpublica, explicemus. Cum igitur negocium oblatum eſt, hîc primũ ars conſulenda eſt, & initio cogitandum, ad quod genus cauſſæ res pertineat. Ideo enim diſtincta ſunt genera cauſſarum, ne loci in turba diu quærendi eſſent. Quare deprehenſo genere cauſſæ, ſtatim occurrent certi loci ad pateſaciendam & tractandam materiam utiles.

Prodeſt autem ideo etiam intelligere genus cauſſæ, quia genere cognito, proſpicitur finis orationis, hoc eſt, præcipua intentio, & ſumma conſilij, ſeu ut uocant, ſcopus orationis. Plurimum autem refert in omni ſermone, in omnibus negocijs, noſſe finem, hoc eſt, quæ utilitas ex oratione expectanda ſit. Omnis enim oratio, aut ad docendum inſtituitur, aut præter cognitionem habet alium finem, uidelicet, quod aliquid fieri iubet. Suaſoriæ orationes iubent aliquid fieri, ut ſi quis ſuadeat ſuſcipi bellum Turcicum. Tales ſunt & Pſalmi generis Deliberatiui, qui uel præcepta dant, uel conſolantur, uel deprecantur, hi petunt aliquid fieri. Verum generis Demonſtratiui finis eſt cognitio: ut cum Alexandrum laudamus, & res eius ſapienter, fortiter ac feliciter geſtas, narramus, tantum docemus auditorem. Etſi enim exempla imitationis cauſſa proponuntur, tamen in tali oratione nihil apertè poſtulamus ab audientibus, niſi ut huius uiri ſapientiam, uirtutem ac felicitatem contemplẽtur atq; admiren=

admirentur. Ita generis Didaſcalici finis eſt proprius cognitio, ut ſi quis doceat, quid ſit Euangelium, quomodo conſequamur ut Deus reputet ac pronunciet nos iuſtos, quid ſit fides, hîc dicenti proprius finis propoſitus eſt, ut auditores doceat, etſi cognitio poſtea ad uſum transferri poteſt, diuerſum tamen orationis genus eſt, quod docet, ab illo, quod deinde doctrinã ad uſum transferri iubet. Græci in omnium librorum initijs quærunt, quæ ſit operis intentio, ſeu quis ſit ſcopus, ut ipſi loquuntur. Idem agunt Rhetores, cum de genere cauſſæ quærunt, quæ ſit orationis uoluntas, quid poſtulet, utrum cognitio ſit finis orationis, an præter cognitionem aliquid fieri iubeat. Hæc in oratione perſpicere atque animaduertere maximè prodeſt, ut intelligamus, quæ nobis ex oratione utilitas expectanda ſit. Nec prius acquieſcit animus auditoris non ſtulti, quàm finem aliquem orationis animo proſpexerit. Hæc ideo pluribus uerbis dixi, ut oſtenderem, hæc præcepta plurimum ad formanda acuendáque iudicia conferre. Cæterum adoleſcentes & hoc monendi ſunt, interdum genera cauſſarum miſceri. Quanquã enim unumquodq; negocium, ad unum aliquod genus cauſſæ principaliter referendum eſt, tamen ſæpe aliud genus, aliquid à locis alterius generis mutuatur, ut pro Archia, quanquam tota oratio principaliter ad genus Iudiciale pertinet, multa tamen ſumit Cicero ex locis generis Demonſtratiui, dum non de re, ſed de perſona dicit, cuius laudes in iudicio dignitatis exponi proderat. Et Demoſthenes in ſuadendo, multa ſumit ex Demonſtratiuo genere, dum inuehitur in Philippum Macedonem.

Genera cauſaru miſcentur.

in oratione in qua ſuadet bellum ſuſcipiendum aduerſus Philippum Macedonem.

De gene-

DE GENERE DIDASCALICO.

Si quis de hoc genere longiora præcepta deſiderat, is ad Dialecticam redeat, quæ ſola tradit perfectè docendi rationem. Nam Dialectica propriè ars eſt recte docendi. Maxima autem uis, maxima utilitas eſt huius generis. Sæpe enim homines de religione, de Iure, de omni officio docendi ſunt, ubi ſine hac ratione, patefieri res non queunt. Ac ne diſcere quidem ipſi, et rectè complecti animo res difficiles & intricatas poſſumus, niſi hanc Methodum ſequamur, quæ perfacilis eſt, ſi quis mediocrem exercitationem adhibuerit.

Sunt autem quæſtiones duplices. Quædam ſunt ſimplices, ut cum de una uoce quæritur, Quid ſit uirtus, Quid ſit pœnitentia. Quædam cõiunctæ ſunt, ut, cum propoſitio aliqua confirmanda aut confutanda eſt, ut, oporteat ne Chriſtianum abijcere ſuas facultates.

Loci ſimplicis quæſtionis ſunt.

Quid ſit.
Quæ ſint partes uel ſpecies.
Quæ cauſſæ.
Qui effectus.
Quæ cognata & pugnantia.

Hi loci conſulendi ſunt, cum docere de aliqua re homines uolumus. Et aſſuefaciendi ſunt animi, ut quæcunque res propoſita fuerit, ſtatim in hos locos intueantur, qui admonent, ubi quærenda ſit materia, aut certè quid ex magno aceruo eligendum, & quo ordine diſtribuendum ſit. Nam loci inuentionis, tum apud Dialecticos, tum apud Rhetores, non tam conducunt ad inueniendam materiam, quàm ad eligendam, poſtquam aceruus aliquis rerum, uel ex alia arte, uel ex i-

ipſis negocijs oblatus fuerit.

Prima in omni re, definitio eſſe debet. Hanc iubet quærere locus, quid ſit. Sed interdum de appellatione prius diſputatur, & conſtituenda eſt ſignificatio uocabuli, conſtat enim innumerabiles eſſe λογομαχίας & rixas de uocabulis. Initio igitur, ne ambiguitas ſermonis errorem pariat, certa uocabuli ſignificatio conſtituenda eſt.

Ac præſertim in diſputationibus Theologicis obſeruanda eſt phraſis ſacrarum literarum, quia multis utimur Hebraicis figuris, quæ, ſi non rectè reddantur, multi errores ſequuntur, ut Pelagius Gratiam intelligebat tantum beneficium oſtenſæ legis ac doctrinæ. At Paulus longè diſcernit à lege Gratiam. Vocat enim Gratiam reconciliationem, hoc eſt, remiſſionem peccatorum & acceptationem diuinam, cũ qua coniuncta eſt donatio ſpiritus ſancti. Quare Pelagius turpiter corrumpebat ſententias Pauli. Sed quia copioſius traduntur præcepta de Methodo, in noſtris Dialecticis libellis, hic ero breuior, tantum exemplum unum atq; alterum adſcribam.

Quid eſt uirtus? Eſt habitus uoluntatis, inclinans ad obediendum iudicio rectæ rationis. Recenſeo enim uſitatam Philoſophorum definitionem.

Quæ partes? Dialecticè poſſunt partes dici Genus & Differentia in definitione. Sed ſi quæritur, quæ res exiſtant in anima, quales motus ſint, Species enumerandæ ſunt, Nam diuerſæ Species ſunt diuerſi habitus.

Species multæ numerari poſſunt. Pietas, Iuſtitia, Fortitudo, Modeſtia &c.

Quæ

Quæ cauſſæ? Crebræ actiones honeſtæ. Sed actionum cauſſæ ſunt, rectum iudicium mentis, & uoluntas adſentiens.

Qui effectus? Præmia à Deo propoſita, iuxta illud: Honora patrem & matrem, ut ſis longæuus ſuper terram.

Quæ cognata? uirtuti quæ eſt habitus, cognata eſt φυσικὴ ἀρετή, Bona inclinatio in natura.

Quæ pugnantia? Simulatio uirtutis, Et turpitudo palàm pugnans cum uirtute, ut Neronis, & ſimilium flagitia.

Ita Dialectica metas & ſummas oſtendit, quæ ſuppeditant maximam rerum copiam, ſi uelis ſingulos locos integre explicare.

Aliud exemplum.

Quid eſt Pœnitentia? prius de uocabulo dicatur. In Eccleſia uocamus uſitatè pœnitentiam, id quod dici poſſet, conuerſio uoluntatis ad ueram pietatem.

Eſt igitur definitio. Pœnitentia eſt contritio & fides, qua credimus nobis remitti peccata, ꝓpter Chriſtum, quam fidē ſequitur noua obedientia erga Deū.

Quæ partes? Conuerſio uera habet duas partes, tanquam duplices motus animi, contritionem, id eſt, agnitionem peccati, ſeu terrores ac dolores, propter peccatum.

Altera pars eſt Fides, quæ erigit & conſolatur perterrefactas mentes, cum accipit remiſsionem peccatorum, donatam propter Chriſtum.

Rectè additur & tertia pars, quæ tamen eſt effectus priorum, ſcilicet noua obedientia.

Quæ cauſſæ? diuerſorum motuum diuerſæ ſunt

cauſſæ. Contritionis, id eſt, terrorum cauſſæ, ſunt Lex, arguens peccata: et Spiritus ſanctus efficax per legem, & impellens uoluntatem: & uoluntas adſentiens ac non repugnans Spiritui ſancto, non ipſis peccatis indulgens, eáq; repetens.

Fidei cauſſæ, ſunt Euangelium annuncians remiſſionem propter Chriſtum: & Spiritus ſanctus efficax per Euangelium, ac impellens uoluntatem: & uoluntas adſenties & non repugnans Spiritui ſancto.

Quæ cognata? Contritioni cognata eſt uirtus, quæ uocatur timor Dei. Fidei cognata, Spes, Dilectio.

Quæ pugnantia? Cum contritione pugnant ſecuritas prophana, ſeu contemtus Iudicij Dei, & ſimulatio dolorum. Cum Fide pugnant deſperatio & ſimulatio Fidei, quæ eſt prophana ſecuritas & contemtus Iudicij Dei.

Qui ſunt effectus ueræ Pœnitentiæ? Noua & ſpiritualis uita, pia opera. Et quia uoco effectus, omnia quæ certò ſequuntur, etiam hic numero uitam æternam.

ALIVD EXEMPLVM.

Quid eſt Fides? Primum ſignificatio uocabuli conſideranda eſt. Interdum fides ſignificat noticiam hiſtoriæ de Chriſto. Sed aliâs in prophetis & Apoſtolis, Fides ſignificat fiduciam, qua aſſentimur promiſſionibus Dei, ſic Paulus Roman. 4. palàm affirmat ſe de fide loqui, qua aſſentimur promiſsioni, cum ait: Ideo ex Fide, gratis, ut ſit firma promiſsio.

Eſt igitur Fides aſſentiri promiſsioni, in qua Deus pollicetur ſe nobis propicium fore propter Chriſtū.

Comple-

Complectitur ergo hæc Fides, noticiam hiſtoriæ, & fiduciam aſſentientem promiſsioni, ad quam hiſtoria referenda eſt.

Quæ partes? Sicut oculorum motus non poteſt ſecari in partes, ſic nec mentis aut uoluntatis motus ſecantur in partes, Sed tamen Fides complectitur noticiam in intellectu, & uoluntatem, quæ uult & accipit beneficium oblatum, id eſt, aſſentiri promiſsioni. Species Fidei diſcerni poſſunt, quia Fides aliâs uerſatur circa promiſsiones beneficiorum corporalium, aliâs circa promiſsiones gratiæ, & rerum æternarum. Sed tamen promiſsiones beneficiorum corporalium, admonent nos de altera promiſsione, quæ eſt præcipua. Ideo pij ſemper in promiſsionibus corporalium beneficiorum, complexi ſunt promiſsionem gratiæ, ſeu reconciliationis.

Quæ cauſſæ? Obiectum Fidei eſt Miſericordia promiſſa propter Chriſtum, qua Deus nos pronũciat iuſtos, non propter legem aut dignitatẽ noſtram, aut opera noſtra, ſed propter Chriſtum, quem uoluit eſſe redemtorem noſtrum. Et hæc Miſericordia oſtenditur nobis in Verbo, uidelicet in Euangelio ſeu promiſsionibus, quæ extant in Euangelio. Dixi de obiecto Fidei. Inſtrumentũ quo fit in nobis, eſt ipſum uerbum. Cauſſæ efficientes, Spiritus ſanctus, qui eſt efficax per Verbum, & impellit mentem & uoluntatem hominis: & uoluntas adſentiens ſeu non repugnans.

Subiectum in quo hæc geruntur, eſt ipſa hominis anima, mens & uoluntas.

Qui effectus? Voco effectus omnia, quæ neceſſariò ueram Fidem ſequuntur.

Comitatur autem Fidem ex pacto Dei iuſtificatio, id eſt, reconciliatio ſeu imputatio iuſtitiæ. Hæc poteſt dici proprium Fidei ſeu correlatiuum, quia eſt quiddam quod neceſſariò ex pacto Dei, Fidem comitatur: quia non poſſumus aliter aſſentiri promiſsioni, niſi Fide. Contingit igitur promiſſa reconciliatio, nõ propter aliquod noſtrum opus, aut noſtram dignitatem, aut noſtras uirtutes ullas, ſed propter Chriſtũ. Et tamen aliquid eſſe oportet, quo id beneficium accipiamus. Fide igitur accipimus. Quare non effectus Fidei, ſed proprium ſeu correlatiuum eſt Iuſtificatio, id eſt, reconciliatio. Eſt etiam Fides motus, quo accipitur ſpiritus.

Effectus uerò numerari poſſunt, Tranquillitas & Gaudium conſcientiæ, quia Fide uincuntur terrores. Hunc effectum ſequũtur Inuocatio & Dilectio, quia inuocamus & diligimus placatum. Et quia uoco effectus, omnia certò ſequentia, hîc numero etiam uitam æternam. Item omnes euentus, ut Ezechiæ Fidem ſequitur liberatio.

Quæ cognata? Spes expectans futuram liberationem, Inuocatio, Dilectio.

Pugnantia. Simulatio Fidei, Deſperatio, Pauor impius.

Cum hoc modo res includuntur metis artis, certius comprehendi poſſunt. Et ſinguli loci ſuppeditant ingentem copiam rerum in explicando. Quare hæc diligentia plurimum prodeſt, & ad iudicandas materias obſcuras, & ad explicandas atque illuſtrandas. Nec dubium eſt, quin illa innumerabilia Encomia Methodi, quæ ſunt apud Platonem, hanc ipſam exercita

tionem

tionem nobis commendent, ad has metas reuocandi quæſtiones quas explicaturi ſumus:

DE CONIVNCTIS quæſtionibus.

Loci coniuncti thematis ferè ſunt ijdem, quos iam recenſui. Nam omnis docendi ratio conſiſtit in definitione, cauſsis & effectibus. Ducuntur igitur argumenta in confirmando aut confutando.

A definitione.
A cauſsis.
Ab effectibus.
A partibus.
A pugnantibus.

Hi loci præcipui ſunt in Topicis. Reliqui enim extra cauſſam uerſantur, & magis amplificandi, quàm docendi cauſſa adhibentur. Itaq; ſi confirmandum erit Thema, quod non ſit Chriſtiana iuſtitia diſcedere à facultatibus, quærenda eſt definitio præcipuæ partis in hac propoſitione, uidelicet, quid ſit Chriſtiana iuſtitia. Hinc ducetur argumentum.

A GENERE.

Chriſtiana iuſtitia, eſt res perpetua in ſpiritu, uidelicet, noſſe ac timere Deum, credere in Chriſtum. Diſcedere autem à facultatibus, non eſt res æterna, neq; ad ſpiritualem uitam neceſſaria. Igitur Chriſtiana iuſtitia non eſt, diſcedere à facultatibus.

A CAVSSA, uidelicet præcepto.

Euangelium non abolet res politicas, ſed multò magis confirmat & conſeruat. Tenere proprium ne-

ceſſaria res eſt in politia. Igitur Euangelium non præcipit diſcedere à facultatibus. Euangelium autem de iuſtitia Chriſtiana præcipit, Igitur non eſt iuſtitia Chriſtianæ diſcedere à facultatibus.

Verum nihil opus eſt per omnes locos uagari. Neque uerò quælibet cauſſa recipit omnes locos. Totam autem hanc Methodi formam, ſumma diligentia tradidimus in Dialecticis. Quare hîc breuiter tantũ admonendus fuit Lector, ut in Rhetoricis meminerit ſæpe ad Dialecticen ſibi reſpiciendum eſſe, præſertim cum de aliqua re docere homines uolet. Quo genere multum in Eccleſijs & in Scolis utendum eſt. Et ſuaſoriæ cauſſæ multa mutuantur à genere Didaſcalico. Sæpe enim in deliberando de aliquo communi loco prius diſputatur, quàm quid ſit agendum cõſtituitur. Vt cum de bello Turcico deliberamus, initio docendi ſunt homines, quòd Chriſtiano liceat bella gerere, & Deus præceperit Magiſtratibus, ut latrocinia depellant, poſtea incitandi ſunt principes ad bellum ſuſcipiendum.

DE GENERE IVDICIALI.

Veteres præcipuè propter hunc uſum excogitauerunt Rhetoricen, ut præpararent adoleſcentes ad forum. Ideo tota ferè Rhetorica conſumitur in his præceptis, de tractandis controuerſijs forenſibus. Nunc etſi imago quædam ueteris artificij reliqua eſt in foro, tamen cauſſas agunt Iuriſconſulti, qui adhibẽt multum ex ſua arte, pleraq; tamen à Rhetorica mutuati ſunt illi ipſi ſcriptores, quos legunt Iuriſconſulti. Sed nos tradimus hæc præcepta, uel ad iudicandas alio-

das aliorum orationes, uel ut etiam inſtruamus adoleſcentes ad controuerſias in Epiſtolis tractandas, & ad Eccleſiaſtica negocia. Nam diſputationes Eccleſiaſticæ, magna ex parte ſimilitudinem quandam habẽt forenſium certaminum. Interpretantur enim leges, diſſoluunt ἀντινομίας, uidelicet ſententias, quæ in ſpeciem pugnare uidentur: Explicant ambigua: Interdum de Iure: interdum de facto diſputant: quærunt factorum conſilia. Ideo hoc genus in his noſtris moribus, etiam magnum habet uſum. Sed ut generi iudiciali certi loci aſsignari poſsint, initio diſcernuntur ſtatus.

DE STATIBVS.

Nulla pars artis magis neceſſaria eſt, quàm præcepta de ſtatibus, in quibus hoc primum ac præcipuum eſt, ut in omni negocio, ſeu controuerſia diligenter conſideremus, quis ſit Status, hoc eſt, quæ ſit principalis quæſtio, ſeu propoſitio, quæ continet ſummam negocij, ad quam omnia argumenta referenda ſunt, uelut ad principalem concluſionem. Nulla controuerſia intelligi, nihil ordine explicari, dici, aut percipi poteſt, niſi conſtituatur aliqua propoſitio, quæ ſummam cauſſæ comprehendat. Ac ſæpe in concionibus indoctorũ iudicari poteſt, quanta huius præcepti uis ſit, ubi poſtquam nulla certa propoſitio conſtituta eſt, de qua dicendum ſit, oratio non magis cohæret, quàm illa apud Horatium pictura, in qua humano capiti ceruicem pictor equinam addit &c. Ita interpretes Pauli, quia nuſquam excerpebant ex ulla diſputatione certam propoſitionem, nec uidebãt, quomodo ad unum aliquod caput accommodanda eſſent

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0027-5

omnia argumenta, toto cœlo à ſententia Pauli aberrabant. Interdum etiam enarratio pugnabat cum autore. Quare diligenter aſſuefaciendi ſunt adoleſcentes, in legendis diſertorum orationibus ac diſputationibus, ut Statum quærant, ut in ſcribendo ac dicendo propoſitiones conſtituant, & ad has argumenta accommodent. Præceptum hoc leue ac puerile uidetur in ſpeciem, ſed utilitatem habet maximam. Ac paucos inuenias, qui in dicendo obſeruent, qui conſulant ſeipſos quid dicturi ſint, quæ ſit futura negocij ſumma. Si quando amphoram inſtituunt, ut Horatij uerbis utamur, currente rota tamen urceus exit.

Neque uerò tantum Status obſeruandus eſt, ſed quia ferè quælibet controuerſia unum aliquem præcipuum Syllogiſmum continet, qui maxime munit Statum, is quoq; Dialectico more breuiter excerpendus eſt, ut nuda ac breuia membra intuentes, rectius iudicare poßimus. Quare Rhetores indiderunt nomina partibus Syllogiſmi. Status eſt concluſio. Nam concluſio eſt propoſitio principalis, poſt argumentationem repetita. Et Statum aliâs uocant κεφάλαιον, uocant & ὑπόθεσιν, ſeu ὑποκείμενον, unde manſit nomen ſubiecti in ſcolis, pro materia & ſumma operis. Maiorem & Minorem uocant αἴτιον. In his altera, de qua dimicatio eſt, & qua confirmata, Concluſio fit plana, uocatur κρινόμενον, ut pro Milone Status eſt. Milo Clodium occidit, αἴτιον eſt, uim ui repellere licet. Milo autem uim ui repulit. In his Minor eſt incerta, quam ſi iudici probauerit Cicero, Milo uincet. Itaq; in hoc Syllogiſmo, Minor eſt κρινόμενον

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0028-0

μενον. Interdum Maior eſt κρινόμενον.

Euangelium non abolet Politias.
Tenere proprium, eſt res politica.
Igitur Euangelium non uetat tenere propriũ.

Hic maior eſt κρινόμενον. Nam homini imperito oſtendendum eſt, quòd Euangelium doceat de uita æterna, & iuſtitia cordis erga Deum. Interim foris iubeat nos uti politicis ordinationibus, ſicut cibo, potu, aëre, & alijs bonis Dei creaturis. Probatio autem τοῦ κρινομένου, dicitur συνέχον, quia totum Syllogiſmum connectit.

Sunt autem tres formæ ſtatuum, quas per quæſtiones diſcernunt. Status coniecturalis oritur ex quæſtione, An ſit: ut, pro Roſcio quæſtio eſt, an Roſcius occiderit patrem. Status legitimus in quo præcipua eſt definitio, oritur ex quæſtione, Quid ſit: ut apud Paulum, Quid ſit iuſtitia Chriſtiana, Fidéne reputemur iuſti, an opera ſint iuſtitia. Status iuridicialis oritur ex quæſtione, Quale ſit factum: uidelicet, Iuréne factum ſit, ut, Iuréne Cæſar interfectus ſit.

DE STATV CONIECTVRALI.

Cum autem prima ſit quæſtio, An ſit: initio de ſtatu coniecturali dicemus. Singulis enim Statibus, certi loci ſubiecti ſunt. Sed quoniam locis argumentorum, in confirmatione & confutatione maximè utimur, prius recenſendæ ſunt partes orationis.

DE PARTIBVS ORATIONIS.

Orationis partes ſunt ſex. Exordium, Narratio, Propoſitio, Confirmatio, Confutatio, Peroratio.

Exordium eſt initium orationis, priuſquam enim de re dicimus, præparandi ſunt animi audientium, ac uulgò ita ſcribunt hæc tria in Exordio efficienda eſſe, ut reddamus auditores Beneuolos, Attentos & Dociles. Fabius hæc ad unum Beneuolentiæ locum refert, qui profectò præcipuus eſt. Sicut enim in quotidianis congreßibus colloquentes cum amicis, initio nos commendamus, aut excuſamus, cur eis negocium faciamus, ita in magnis caußis decet proœmijs quibuſdam, uel excitare, uel inuitare auditores. Et eſt quædam humanitatis ſignificatio, prius de noſtro officio dicere, quàm ad cauſſam accedimus. Itaq; Beneuolentiam aliâs à perſonis, aliâs ab ipſis negocijs, ſi ſint honeſta & plauſibilia, conciliamus. Sed locus uſitatißimus hic eſt à perſonis ſumtus, dicere de officio, uel noſtro, uel Iudicis, ut Cicero initio contra Verrem. Itẽ, pro lege Manilia. Item, pro Archia, reddit rationem quare has cauſſas ſuſceperit. Ordimur & à laudibus eius, ad quem habetur oratio: ut Paulus in exordio Epiſtolæ ad Romanos, initio fidem eorum prædicat. Cum reſpondemus aduerſarijs, facilius eſt ordiri ex occaſione, ſicut Demoſthenes queritur initio de AEſchine, quòd rem iniquißimam petiuiſſet, ne aduerſario concederetur, ut pro ſe diceret. Hæc querela maximè decebat in Exordio.

Attentos reddimus, cum ſignificamus nos de magnis et utilibus rebus dicere, ut ad Romanos: Non pudet me Euangelij. Eſt enim potentia Dei.

Dociles, cum & ſummam negocij breuiter oſtendimus, ut ad Romanos: In Euangelio patefit Iuſtitia fidei. Sed non poſſunt numero comprehendi ſpecies Exordiorum.

Exordiorum. Ordimur enim non tantum ab his locis, quos recenſui, ſed interdum à tempore, interdum à locis, interdum ab alijs circumſtantijs. Hanc uarietatem oſtendent exempla Ciceronis. Illud unum præcipuè iudicaui monendos eſſe ſtudioſos, maximam gratiam habere uerecunda & ſummiſſa Exordia, & procul fugienda eſſe grandia & tumida principia, qualia ſunt Statij, præſertim cum exiſtimationi officiant. Significant enim arrogantiam & confidentiã ingenij. Ideoq; prudenter Horatius præcipit. Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem.

Decent in initijs & Dubitatio, Admiratio, ἀπροσδόκητον, Votum, & ſimiles figuræ, ut nihil minus expectabam. Maximè uellem Iudices, ut Sylla dignitatem ſuam retinere potuiſſet. Decent & affectus mitiores omnis generis, ut: Magnam mihi uoluptatem attulerunt literæ tuæ. In magnis cauſſis non ſolent Exordia prætermitti, ne quidem ab Atticis, qui lege cogebantur, ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν dicere. Sed in Epiſtolis crebro prætermittuntur Exordia.

DE NARRATIONE.

Narratio eſt facti expoſitio, quæ ſtatim Exordio ſubijcitur. Hanc ſequi debet Propoſitio, quæ contineat ſummam rei. In diſputationibus & ſuaſorijs cauſſis, interdum non utimur Narratione, nonnunquam & in iudicijs prætermittimus. Itaq; prudentia eſt uidere, quando poſtulet res Narrationem. Propoſitio autem nunquam omitti poteſt. Hæc præcipua pars eſt totius certaminis. Et interdum multæ propoſitio-

nes po-

nes ponuntur, ſed ubi gradus per priores ad unam quandam principalem faciendus eſt, ut ad Romanos, initio proponit omnes eſſe ſub peccato, gentes & Iudæos. Deinde peruenit ad propoſitionem principalē, quòd propter Chriſtum iuſti reputemur, cum credimus nobis propter eum placatum eſſe Deum, non propter noſtra benefacta. Neq; de diſputatione iudicari poteſt, niſi hoc ordine propoſitionum animaduerſo. In uulgaribus concionibus iure deſiderari poteſt diligentia, quia non ſæpe proponunt concionatores ſummam eius rei de qua dicturi ſunt, ea res facit, ut auditor incertus nuſquam ſciat, quid expectare debeat. Rhetores hoc loco, Diuiſionis ſeu Partitionis mentionem faciunt, hanc dicunt eſſe, cum propoſitionem ita conſtituimus, ut ſimul moneamus quæ relinquere uelimus, aut cum enumeramus, quàm multæ partes nobis tractandæ ſint.

DE CONFIRMATIONE.

Confirmatio difficillima pars eſt Oratorij operis, hæc enim perſuadere Iudici debet, ut propoſitioni aſſentiatur. Etenim cum aliud nihil ſit propoſitio, niſi concluſio confirmationis, non merebitur fidem propoſitio, niſi confirmatione propugnata fuerit. Nam ut Dialectici tradunt, labefactis præmiſſis, ruere Concluſionem neceſſe eſt, ut quæ ſit uelut faſtigium ſeu tectum ſyllogiſmi.

At loci qui in Rhetorica traduntur, tantum admonent nos de rebus, unde ſumendæ ſint res in quolibet genere cauſſæ, ſeu potius magno rerum aceruo propoſito, quid eligi debeat, quod ad propoſitum quadret. Deprehenſis autem rebus ſeu materia argumentorum,

torum, tenenda eſt & forma quædam argumentorũ, de hac non ſatis perſpicuè præcipiunt Rhetores. Itaq; monendi ſunt adoleſcentes, ut Dialecticen conſulant de forma argumentorum. Etſi enim liberior eſt oratio popularis, quàm illi exiles & nudi ſyllogiſmi Dialecticorum, tamen membra argumentorum eadem eſſe neceſſe eſt, quæ in Dialecticis traduntur. Ideoque ea, quæ Cicero de ſyllogiſmo tradit, à Dialecticis mutuatus eſt omnia. Cæterum Orator ueſtit ea quaſi habitu uerborum, & in diſponendo liberior eſt, quàm Dialecticus. In ſyllogiſmo plerunq; à minore inchoat argumentum, Non ſæpe orditur à maiore. In Enthymemate, dum interdum properat, relinquit conſequens auditorum cogitationi. Etenim natura cogit ſumere formas argumentorum à Dialecticis, & ſic communis ſermo minus aliquanto uinculis illis Dialecticis aſtrictus eſt.

Coniecturalis ſtatus habet duos locos, Voluntatem & Facultatem. Quoties igitur incides in orationem coniecturalis ſtatus, memineris eam totam in Voluntatem & Facultatem, tanquam in duo præcipua membra partiendam eſſe. In tota Miloniana diſputatur partim de Voluntate Clodij, quòd uoluerit Milonem interficere, partim de facultate, quòd Clodius potuerit inſidias facere, Milo non potuerit. Hi loci ſunt ex natura ducti. Nam in omnibus hominum factis neceſſe eſt uoluntatem & facultatem concurrere. Itaq; ijdem loci maximam uim apud Iuriſconſultos habent, qui multa ex præſumtionibus, id eſt, coniecturalibus argumentis iudicant.

Voluntas habet duas ſpecies: Altera uocatur Impulſio,

pulſio, quæ affectus continet, ut Clodius oderat Milonem, igitur cupiebat eum extinctum eſſe. Altera dicitur Ratiocinatio, quæ à finali cauſſa ſumitur, cum dicitur argumentum à ſpe commodi. Nam humanæ mentes plurimum mouentur opinione utilitatis, ut Clodio proderat Milonis interitus, Miloni non proderat Clodij interitus, ergo uerißimile eſt, Clodium feciſſe inſidias. Ex hoc loco nata uox eſt Caßij, cuius ſæpe facit mentionem Cicero, quærendum in iudicio, cui bono fuerit. Facultas continet ſigna & circumſtantias. Signa ſunt facta, aut notæ alicuius rei, indicantur autem etiam communi ſenſu ſine doctrina. Sunt enim uel cauſſæ uel effectus factorum. Facilis igitur eſt comparatio ſigni ad factum. Quædam ſunt antecedentia, ut, Milo duxit uxorem & liberos ſecum in Rheda, ergo non eſt conſentaneum, profectum eum eſſe ad pugnandum, Nam pugnaturi non adducunt liberos in diſcrimen. Quædã ſequuntur factum, ut fugit, expalluit, erubuit. Circumſtantiæ ſunt tempus, locus, apparatus, iuxta uerſiculum. Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando. Et horum ratio à ſenſu communi petenda eſt, ut Cicero non fuit in urbe, cum Cæſar interficeretur, igitur non interfecit Cæſarem. Præter hos locos ſunt ἄτεχνα, quæ propemodum ad ſigna pertinent, teſtes, chirographa, confeßiones, de quibus Iuriſconſulti diligenter præcipiunt.

DE CONFVTATIONE.

Confutatio eſt diſſolutio argumentorum, quæ obijciuntur. Huius rei artificium magna ex parte ſumendum eſt ex Dialecticis. Conſtat autem in Dialectica

triplicem

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0034-3

triplicem rationem diſſoluendorum argumentorum tradi. Prima eſt cum peccatum in forma argumenti deprehenditur, tunc enim reprehenditur conſequentia. Iudicium autem de conſequentia tantum ex Dialectica petendum eſt. Nam & planiora ſunt, & meliora, quæ de conſequentia tradunt Dialectici, quàm quæ ſcripſit Cicero de uitioſis rationibus iudicandis ubi uoluit complecti Dialectica præcepta eius rei. Cũ autem peccatum in materia argumenti eſt, diluitur aut per Diſtinctionem, aut per Inficiationem. Ambigua diſtinguendo explicantur. Inficiatio autem habet eoſdem locos, quos in confirmatione poſuimus, Voluntatem & facultatem, ut Cicero oſtendit, Miloni uoluntatem & facultatem inſidiandi Clodio defuiſſe. Negabimus igitur illa, quæ obijciuntur, & opponemus rationes, quæ reddant ueriſimilem inficiationem. Et quia coniecturalis ſtatus plerunq; habet probationes non neceſſarias, ſed tantum probabiles, ideo homines ingenioſi facilè reperire poſſunt ex iiſdem locis argumenta in utranq; partem. Ac ferè diſputatio tota de ſignis eſt, hic ualent homines callidi & copioſi, qui ſigna uariè interpretari ſciunt, & uarias cauſſas ſignorum quærere. Nuſquam enim uerius eſt, quod dixit Euripides, quàm in hoc genere, ἀλλ᾽ οἱ λόγοις καταπαλαίουσι λόγους. Ratio rationẽ euertit, ut uulgo dicunt, rationes contra rationes.

Et propter contrariam ſignorum interpretationem, duo peculiares loci adduntur defenſori. Inuerſio, cum docemus ſignum uel cauſſam contra nos allatam, pro nobis facere, ſi occidiſſem non ſepeliſſem, ſatius fuiſſet ſtatim relicto cadauere fugere. Paulus in

Galatis utitur hoc loco: Nunquid lex eſt aduerſus promißiones, ſi quidem auget peccata? Paulus reſpondet, Imò tunc eſſet aduerſus promißiones lex, ſi iuſtificaret. Nam ſi lex iuſtificaret, nihil eſſet opus noua promißione, quæ gratis promittit iuſtificationem. Græci uocant ἀντίστρεφον.

Abſolutio eſt, cum interpretamur ſignũ aut cauſſam aliter quàm aduerſarius, ſepelij, ſed miſericordia commotus cum obiter præterirem. Vterq; locus oritur ex ſubtili cauſſarum interpretatione & animaduerſione. Nam unius euentus multæ & uariæ cauſſæ excogitari poſſunt.

DE PERORATIONE.

Peroratio eſt conclusio orationis, in qua repetitur propoſitio principalis. Tunc enim uocatur propoſitio, cum ante confirmationem collocatur. Concluſio uocatur, cum poſt confirmationem ponitur, ut fit in ſyllogiſmis apud Dialecticos. Omnis autẽ Peroratio conſtat duabus rebus, partim repetitione propoſitionis & potißimorum argumentorum, partim Affectibus. Quales autem affectus deceant in unaquaque cauſſa, ſine præceptis ſciri poteſt, Reo miſericordia opus eſt, Accuſator ſtudet odiũ inflammare. Porrò ex quibus fontibus ducantur affectus, natura rerũ conſulenda eſt, quanquam, cum ſine arte perſpiciant aſſentatores, quibus rebus animi hominum capiantur aut irritentur, facilè id quoq; uidebit Orator. Nam urbanißimè ac prudentißimè dictum eſt, Rhetoricam particulam eſſe τῆς κολακευτικῆς.

DE IVRIDICIALI STATV.

Sicut Coniecturalis ſtatus ex quæſtione, An ſit factum, naſcitur, ita ſtatus Iuridicialis ex quæſtione, Quale ſit factum, oritur. Diſputat enim, utrum iure aliquid ſit factum, aut ſecus: itaq; appellatur à Fabio Qualitatis ſtatus. Græci uocant δικαιολογικὸν, quia de iure diſputat, ut: C. Cæſar non eſt iure interfectus. Iuſtum eſt fures ſuſpendere. Tales cauſſæ habent eaſdem partes orationis, quas ſuprà recenſui, Exordium, Narrationem, Propoſitionem, Confirmationem, Confutationem & Perorationem, ac cæteræ partes non requirunt noua præcepta, tantum Confirmatio ac Confutatio habent nouos locos. Sunt enim diuerſi loci diuerſorum ſtatuum: quia uerò hic ſtatus totus uerſatur circa Iuris quæſtionem, ideo loci ſumuntur à Iureconſultis.

1 Natura.
2 Lex.
3 Conſuetudo.

4 Æquum bonum, iudicatum, pactum. Hi loci pertinent ad cauſſam efficientem apud Dialecticos. Ius eſt enim quod ſuſcipitur impellente uel naturali Iure, uel ſcripta Lege. Quid ſit Ius naturæ, quid Lex ſcripta, quæ Conſuetudo habeat autoritatem, à Iureconſultis ſumendum eſt. Nos olim addidimus locũ Religionis, ſed in Lege ſcripta comprehendi poteſt. Nã Legis ſcriptæ ſpecies ſunt, Lex diuina & Lex humana. Sed addemus exemplũ, in quo cerni poterit, quomodo propoſitione conſtituta, debeat ſe referre animus ad hos locos. Súntque ita exercenda ingenia, ut quacunque quæſtione oblata, ſtatim decurramus per

omnes locos, & conſideremus, ex quibus hauriri a-pta materia poßit. Non enim ſemper omnibus locis uti poſſumus. Sed idonei quærendi & amplificandi ſunt.

Initio, Status negotij ſeu Propoſitio conſtituenda eſt, ut: Conſtantinus Imperator rectè fecit, quod bellum Licinio intulit, defendendorum Chriſtianorum cauſſa, etiamſi cum Licinio fœdere & adfinitate coniunctus erat.

Iam loci inſpiciendi ſunt, & uidendum, qui conueniant huic cauſſæ.

A NATVRA.

In omnibus materijs, in quibus de Iure quæritur, præcipuè Ius naturæ, & Ius diuinum conſiderētur, & in hac quæſtione à Iure naturæ firmum & illuſtre argumentum ducitur.

Ius naturale eſt, ſuſcipere defenſionem contra iniuſtam crudelitatem, præſertim ſi ſit manifeſta, ſeu, ut uocant, notoria iniuria. Talem defenſionem ſuſcepit Conſtantinus, Ergo recte fecit.

Hic ſyllogiſmus amplificandus eſt exaggeratione ſceleris Licinij. Atrocius ſcelus eſt, trucidare Sacerdotes & alios pios, quàm reliqua latrocinia: ſæuitur enim in homines peculiariter Deo conſecratos. Et accedit hæc impietas, quòd Tyranni non tantum hos miſeros homines cupiunt è medio tollere, ſed prorſus nomen Dei, ueram Religionem ac doctrinam delere & extinguere, ac penitus obruere gloriam Dei.

Aduerſus hæc tanta ſcelera præcipuè arma capere debent Reges & Principes, qui, ut Paulus ait, gerunt gla-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0038-6

riunt gladium, ut defendant bonos, & puniant iniu- ſtos.

A LEGE SCRIPTA.

Leges diuinæ & humanæ præcipiunt Regibus & omnibus Magiſtratibus, ut defendant innocentes, ac maximè eos, qui propter Religionem adfliguntur.

Hîc ſententiæ ex ſcripturis colligendæ ſunt de officio Magiſtratuum, quales ſunt apud Ieſaiam: Subuenite oppreſſo, Iudicate pupillo. Et in Pſalmo: Eripite adflictum de manu peccatoris.

AB EXEMPLIS.

Pertinent ad iudicatum, exempla probata. Honeſtum fuit Athenienſibus, ſuſcipere defenſionem liberorum Herculis aduerſus Euryſthea. Quanto honeſtius eſt Imperatori pio, ſuſcipere defenſionem Sacerdotum.

Accedant amplificationes à pœnis Idolatrarum: Deus deteſtatur & odit Idolatras, Ideo defenſores impiorum cultuum, habebunt tragicos exitus. Sicut in primo præcepto minatur Deus Idolatris, & hiſtoriæ ſuppeditant multa exempla.

Tractandum & hoc eſt, quòd ad Principes pertineat cura retinendæ ueræ Religionis, iuxta ſecundū præceptum: Non aſſumes nomen Dei uanè. Hoc præceptum uetat tolerare blaſphemias, et impios cultus.

CONFVTATIO.

Sæpe Confutatio plus ſuppeditat & diſputationum & amplificationum, ut in hac cauſſa. Multa enim obijciuntur.

Primum obijci poteſt, quòd in Euangelio prohibetur uindicta. Id explicandum eſt. Euangelium confirmat & approbat munus Magiſtratuum. Ergo defenſionem quæ fit per Magiſtratus, præcipit. Nec abolet Ius naturæ, ſed approbat. Tantum igitur priuatam uindictam & ſeditiones prohibet.

Secundo obijci poteſt de Iure fœderum. An licuerit confœderato bellum inferre. Ad id reſpondendum eſt. In omnibus fœderibus exceptam eſſe defenſionē aduerſus notoriam iniuriam: Fuiſſet ſcelerata ſocietas Conſtantini & Licinij, ſi Conſtantinus propter fœdus, quaſi pactione quadam obligatus, paſſus eſſet graſſari collegam & infinitam ſæuitiam exercere.

Erant ſocij Lacedæmoniorum Thebani, cum Lacedemonij Athenas cepiſſent. Et tamen Thebani adiuuerunt Thraſybulum, repetentem patriam armis, contra Lacedæmonios.

Erat enim manifeſta crudelitas præſidij Laconici. Ita & Conſtantinus abrumpere ſocietatem quæ ei cum Licinio fuerat, neceſſariò debuit.

Cedunt Iuri naturæ cætera pacta, ut: Subdito aduerſus dominum conceſſa eſt defenſio, ad depellendā iniuſtam crudelitatem, ſi ſit iniuria notoria.

Tertio obijci poteſt: At Conſtantinus alienos defendit, ſubditos Licinio. Quid ad eum pertinebat, quomodo ille ſuam ditionem gubernaret? Reſpōdeo. Etiam ſubditis, ſi ſit manifeſta ſæuitia, licet fieri ſupplices, implorare auxilia ab alijs, & ſuſcipere eorum defenſionem alijs Regibus licet, ut Athenienſes ſuſceperunt defenſionem liberorum Herculis.

Deinde non ſunt alieni, qui nobis ſocietate Eccleſiæ con-

ſiæ coniuncti ſunt. Præcipuum munus eſt ſummorum Regum ac Principum, tueri Eccleſiam, quam ob cauſſam Ieſaias uocat Reges, Eccleſiæ nutritores, id eſt, defenſores.

In iureiurando ciuium Athenienſium erant hæc uerba. Pugnabo pro ſacris, & ſolus, & unà cum alijs. Id exemplum à pijs ſumtum eſt. Atq; ita debent ſentire maximè Principes pij, ſe arma gerere, ut ueram doctrinam, qua gloria Dei ornatur, conſeruent.

In Pſalmo dicitur: Ego dixi Dij eſtis, Hanc appellationem Deus eis tribuit, ut res diuinas tueantur, ueram Religionem, Iuſtitiam & Pacem.

Ita uides confutationem uerſari in explicatione quarundam Iuris quæſtionum, in collatione Iuris naturæ & fœderum. In collatione Iuris naturæ & officij ſubditorum. Propoſui exemplum quæſtionis Iuridicialis, in quo apparet, ad cauſſas non tantum Rhetoricos libellos adferendos eſſe, ſed etiam illius ipſius Iuris cognitionem, in quo uerſatur quæſtio. Fient autem omnia pleniora, cum accedent ornamenta & affectus.

Defenſori adduntur alij quidam loci, ubi defenſio per ſe infirma eſt. Vocant autem Conceſſionem, cum reus non excuſat crimen, ſed ſtudet mitigare, & petit ſibi ueniam dari. Talis defenſio ſeu conceßio tres locos habet, Purgationem, Tranſlationem criminis, & Deprecationem. Purgatio eſt, qua aliqua ex parte leuatur culpa, uidelicet, cum negamus dolo eſſe factũ, ut feci errore, feci iratus, nõ feci animo lædendi. Hæc ſunt partim ex caußis efficientibus, partim ex finalibus ducta, & habent excuſationem etiam apud Iuris

conſultos. Translatio criminis aliquanto probabilior eſt, quàm purgatio, cum culpam conferimus in alios, ut feci iuſſus ab alio, promiſi coactus metu, qui cadit in uirum conſtantem. Hic locus magnam uim habet apud Iuriſconſultos.

Deprecatio ad Oratorem magis pertinet quàm ad Iuriſconſultos. Hæc miſericordiam petit, & uerſatur in locis affectuum. Commouent miſericordiam, rei ætas, dignitas, uita modeſtè acta. Sumuntur argumenta & à clementia Iudicis. Exempla extant apud Ciceronem pro Ligario. Nam in huius defenſione, cum eſſet per ſe infirma, adhibēdi fuerunt loci extranei, ut: Nulla de uirtutibus tuis plurimis, nec gratior, nec admirabilior miſericordia eſt. Homines enim ad Deos nulla re propius accedunt &c.

Peroratio in hoc ſtatu, ut ſuprà, habet duas partes. Repetitionem propoſitionis & argumentorum quorundam, & idoneos affectus.

DE STATIBVS LEGALIBVS.

Hi maximè pertinent ad ſcolas & doctorum diſputationes, ac magna ex parte ex Dialectica iudicari poſſunt. Sunt autem:

Definitio.
Contrariæ leges.
Scriptum & Sententia.
Ambiguum.
Ratiocinatio.
Translatio.

Definitio eſt, cum aut de uocabuli interpretatione contenditur, aut quid ſit res declarandum eſt. Ma

gnus uſus

gnus uſus eſt Definitionum in omnibus materijs Theologicis & forenſibus. Quare adoleſcentes diligenter exercendi ſunt in doctrina Definitionum, & aſſuefaciendi, ut & ipſi propriè & perſpicuè definiant cum opus eſt, & ſtatim uidere definitionum uitia poßint. Id mediocri diligentia atq; exercitatione aſſequi poſſunt, rectè cognitis præceptis Dialecticis. Exempla ſuppeditat non modò lectio, ſed etiam uſus rerum. Magna hoc tempore quæſtio eſt, An Miſſa ſeu Cœna Domini ſit Sacrificium.

Hîc exponendum eſt quid ſit Sacrificium: quod cum intelligitur eſſe opus, pro alijs faciendum, ut mereatur eis remißionem peccatorum, ſequitur Sacerdotis opus, celebrantis cœnam Domini, nequaquam eſſe Sacrificium. Nam ſolius Chriſti mors, precium fuit, quod cæteris merebatur remißionem peccatorū. Eſt autem impietas, transferre gloriam Chriſti in opus Sacrificuli, ſicut ad Hebræos ſcriptum eſt. Vna oblatione conſummati ſumus.

Diſputatur in Eccleſia quid ſit Pœnitentia, hoc eſt, conuerſio hominis ad pietatem, quos motus contineat. Nos perſpicuam definitionem tradere ſolemus, Pœnitentiam conſtare his partibus, Contritione & Fide, ut ſuprà dictum eſt. Apud Ciceronem eſt exemplum in Norbani cauſſa, quod ſit crimen læſæ Maieſtatis. In Epiſtola ad Romanos diſputatur, quæ res ſit, propter quam iuſti pronunciantur, id eſt, accepti coram Deo, hoc eſt, ſint ne noſtra benefacta, iuſtitia, propter quam ſimus accepti Deo. Aut, an ſimus accepti propter aliud, ſcilicet propter Chriſtum, Fide, hoc eſt, fiducia miſericordiæ ꝓpter Chriſtū ꝓmiſſæ.

Ita Paulus definit Iuſtificationem.

Et hanc definitionem confirmat multis Argumentis, quæ partim ſunt Teſtimonia ex Scripturis citata, partim ſunt rationes ex cauſsis ſumtæ.

4 Teſtimonia ſunt, Credidit Abraham, & imputatum eſt ei ad iuſtitiam, Ergo fide conſequimur, ut reputemur iuſti.

Fides autem eſt fiducia promiſſæ miſericordiæ, cū quidem agnoſcimus nos indignos eſſe.

Aliud teſtimonium: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, Ergo, cum omnes oporteat accipere remiſſionem peccatorum qui fiunt beati, neceſſe eſt fateri omnes, quòd habeant peccata. Non igitur ſunt iuſti propria dignitate, non ſatisfaciunt legi.

Deinde à cauſſa additur argumentum.

Promiſsionem gratiæ oportet eſſe certam.

Promiſsio fieret incerta, ſi penderet ex conditione legis.

Ergo promiſsio non pendet ex conditione legis, ſed gratis propter Chriſtum fide contingit.

Minorē confirmat, quia Lex ſemper accuſat, ſeu, ut ipſe ait, iram operatur, quia nemo legi ſatisfacit, quare non propter legem dantur, remiſsio & iuſtificatio.

Exordia & Perorationes in hoc genere ſequuntur communia præcepta, ſuprà tradita.

Contrariarum legum ſtatus eſt, cum faciunt controuerſiam contrariæ leges, quemadmodum ſæpe accidit, Græci uocant hunc ſtatum ἀντινομίας, ut, ἀντινομίαι ſunt, Melius eſt nubere quam uri. Et Canon: Non

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0044-9

non: Non liceat ſacerdotibus uxores ducere.

Contrariæ ſunt: Non facies furtum, & mandatū, ut Hebræi ſpoliarent AEgyptios.

Confirmationes & confutationes ducuntur ex cauſſis efficientibus. Lex enim habet autoritatem ab efficiente cauſſa. Hinc ſunt regulæ. Lex inferior cedit ſuperiori. Lex ſpecialis derogat generali. Lex humana cedit diuinæ. Leges ueteres corriguntur aut abrogantur nouis. Ducuntur etiam confirmationes aut confutationes ex materia, hoc eſt, ex ipſis legibus, ſi cum ratione conſentiant, aut pugnent cum ratione, ſi circumſtantiæ expendantur, quibus latæ ſint, & an ad hos caſus rectè detorqueantur &c. Et ex talibus regulis dirimuntur pleræq; legum controuerſiæ. Lex inferior: Non facies furtum, cedit ſuperiori, ſcilicet primo mandato. Deus enim nouo mandato iuſſerat ſpoliare AEgyptios. Hinc Theologi regulam non inutilem ſumſerunt. Secunda tabula cedit primæ. Abraham immolaturus filium, ſolutus eſt ſecunda tabula per primam, quæ cogit Deo obedire, quidquid is iuſſerit. Iehu capiens arma aduerſus Regem ſuum, ſolutus eſt legibus ſecundæ tabulæ per primam. Deus enim nouo mandato iuſſerat Iehu arma capere. Contrariæ leges uidentur, Ne reddas malum pro malo, & Magiſtratus Dei miniſter eſt, & uindex ad iram. Hîc altera ſententia prohibet uindictam, altera præcipit, ſed dirimitur controuerſia per regulam: Generi derogatur per ſpeciem, & illud potiſſimum habetur, quod ad ſpeciem directum eſt. Excipit autē ſcriptura Magiſtratum à generali regula, in qua uindicta prohibetur. Itaq; certum eſt, Magiſtratui licere

exercere

exercere uindictam, punire ſontes, gerere bella. Conſuetudo recipit in tẽplis imagines, lex prohibet. Hæc controuerſia dirimitur, quia nos non tenemur lege Moſi. Multa hoc modo iudicari poſſunt, quæ longũ eſſet recenſere.

EX SCRIPTO ET SENTENTIA.

Frequentiſſimè in foro, & in Eccleſijs, quæſtiones ſunt, ſcripti & uoluntatis, quæ oriũtur ex ſcripti obſcuritate, aut ambiguitate. Græci uocant hunc ſtatum ῥητοῦ καὶ διανοίας. Huiuſmodi controuerſiæ ſunt de his locis: Vade, uende omnia quæ habes, & da pauperibus. 2. Corint. 8. ut ſit æqualitas. Item: Nõ iurabis. Nam Anabaptiſtæ urgent uerba, nec recipiunt ullam interpretationem. Nos addimus interpretationem, ut ſententiam retineamus. Iuriſconſultus uocat fraudem cum defenditur ῥητὸν contra διάνοιαν. Loci huius ſtatus ſumendi ſunt ex Dialectica. Definitio patefacit obſcura: Diuiſio diſcernit ambigua. Ad hos locos accedunt reliqui, ut loci cauſſarum, effectuum, circumſtantiarum, & pugnantium. Tunc autem uoluntas quæritur, quando ῥητὸν eſt, aut obſcurum, aut abſurdum, ut in his uerbis. Si quis caſtrauerit ſe &c. uoluntas quærenda eſt. Nam ῥητὸν eſt abſurdum. Sed in ſacris literis hoc obſeruandum eſt, ut in dogmatibus & præceptis retineatur τὸ ῥητὸν, niſi impingat abſurditas in aliquem articulum Fidei, ſeu manifeſtum ſcripturæ locum. Tunc enim recipienda eſt uoluntas ex manifeſtis locis alijs collecta. Cæterum in dogmatibus ac præceptis, non eſt diſcedendũ

à uerbis

à uerbis ſcripturæ, cum abſurditas tantum impingit in iudicium rationis.

Confirmationes & Confutationes in Eccleſiaſti*cis negocijs ducuntur ex teſtimonijs ſcripturæ clario*ribus. Interim tamen & Dialectica adhibenda eſt, *quia ſæpe ex definitione, aut ex cauſsis, quæ ſunt in ſcriptura, ratiocinari aliquid cogimur.* Sed hîc uiden*dum eſt, ne connectantur malè cohærentia ſeu* ἀνακόλουθα, *ſeu ut* Dialectici *loquuntur, ne male conſequentiæ conſuantur.* Porrò, *quod ex claris teſtimonijs efficitur bona conſequentia, id quoq; clarum eſſe iudicatur.* Vt *ſcriptura manifeſtè probat* Magiſtra*tus, ergo* probat *etiam leges ciuiles, quamuis ab* Eth*nicis conditas, modò ſint timori malo operi.* Hæc con*ſequentia ualet, quia lex nihil eſt niſi uox* Magiſtra*tus. Locus:* Vade, *uende omnia &c. non cogit diſcedere à facultatibus* Chriſtianos, *quia alius locus apertè inquit,* Præcipe *diuitibus &c.* Hinc *ex definitione argumentamur:* Diues *eſt, qui poßidet proprium, diuitem eſſe licet, ergo & proprium poßidere licet.* Magna *cum* Iudæis *de* Scripto *contentio eſt.* Ipſi *ſomniant regnum* Chriſti *mundanum, uidelicet, quod recuperata patria,* Hieroſolymis *regnaturi ſint, nos defendimus ſententiam, & opponimus clarum teſtimonium ſcripturæ.* Regnum Chriſti *erit æternum, at mundana regna non poſſunt eſſe æterna, igitur mundanum regnum non poteſt eſſe* Chriſti *regnum &c.* Sed *non eſt opus recenſere plura exempla, cum uſus rerum multa quotidie offerat.*

In *foro & negocijs, quæ ratione iudicantur, abſurditas eſt, ſi quid à ratione diſſentit, aut recepto iure, &*

re, & quia effici debet, ut aduerſarij opinio uideatur abſurda, leges & rationes afferendæ ſunt, quæ oſtendant eam cum iure & natura pugnare. Hic iterum eundem eſt nobis ad locos Dialecticos, nam ex cauſsis & effectibus colligitur æquitas. Eſt autem generale præceptum, cuius maximè uſus eſt in hoc genere controuerſiarum, ut excutiantur circumſtantiæ, ex his enim ſæpe uenamur ſententiam, & iudicamus, utrũ Scriptum & Voluntas conſentiant aut diſſentiant. Vera eſt enim uox Hilarij, Circumſtantiæ illuminant dicta.

DE AMBIGVO.

Controuerſiæ ex ambiguo ſunt, cum uerbum aliquod generale aut ambiguum parit diſſenſionem, ut in Canone. Sacerdos ducens uxorem, ſuſpendatur. Ibi intelligunt quidam, ut ab arbore ſuſpendatur. Alij mitius interpretantur, ſuſpendi tantum eſſe feriari ab officio ad tempus. Hic ſtatus cognatus eſt ſuperiori, habet autem hanc præcipuam regulam. Ambigua alia iudicantur ex Grammatica ſeu phraſi & figuris, ut: Non cognoſcebat eam, donec peperit filium primogenitum. Nam particula donec, uariũ habet uſum in ſermone. Alia iudicantur ex artibus, ex quibus ſumuntur, ut: Non reddas malum pro malo, generalis ſententia eſt, quæ ex ſcriptura iudicatur, ex qua conſtat tantum priuatam uindictam prohiberi, publicam non prohiberi. Cæterum & ad hunc ſtatum adhibendi ſunt loci Dialectici. Nam ambigua definitionibus & diuiſionibus explicantur.

RATIOCINATIO.

Ad hunc ſtatum pertinent caſus, qui cum non habeant

beant certam legem, referuntur ad ſimilia, aut ad cognata, cum quibus uidentur connecti poſſe. Iuriſconſulti multa iudicant ex ſimilibus, quare huius ſtatus facilè multa exempla inuenias, ut: Non licet hæredibus pecuniam ciuitati ad ſpectacula legatam repetere, Igitur nec legatum ad pios uſus repetere licet. Repeҫriuntur huiuſmodi controuerſiæ & aliâs, ut ſi quis diſputet, An liceat Chriſtiano in foro cauſſas agere, nullus locus eſt, qui expreſſè hoc concedat, ſed ratiocinatione quærendum eſt teſtimonium, ſiue ex cognatis, ſiue ex ſimilibus. Euangelium approbat iudicia et iudices, ergo nec reliquos iudiciorum miniſtros improbat. Eſt autem Cauſidicus Iudicis miniſter, nam ſine Cauſidici diligentia, opera & uoce, Iudex non poteſt cauſſam cognoſcere, Ergo ſicut Iudicis officium, ita Cauſidici functio probatur.

Si quæratur, An liceat Chriſtiano litigare in iudicijs, nullus locus apertè concedit, ſed ratiocinando quæritur teſtimonium. Licet uti alijs ciuilibus rebus, licet petere defenſionem à Magiſtratu armato aduerſus latrones, Ergo multò magis licet à Iudice inermi, auxilium ad retinendas facultates petere. Item, ſi Magiſtratus eſt honori bonis, ergo Iudex cum defendit Chriſtianum, non præbet ei occaſionem peccandi, alioqui non eſſet ei honori, ſed potius dedecori. In hoc ſtatu plurimum ualent loci communes. Nam ex his multa iudicantur & trahuntur, pendet autem tota res à Dialectica, cum ex cauſſa, ex toto, ex genere ducitur argumentum. Videndum eſt autem, ut ſit in Syllogiſmo bona conſequentia. Cum ſimilia afferuntur, uidendum eſt, ut ſimilitudinis eiuſdem cauſſæ ſint. Irenæus ele-

næus eleganter dixit, Hæreticorum argumenta non magis cohærere, quàm ſi quis uelit funem de arena nectere. Tales erunt in hoc genere ratiocinationes, ſi non fuerit adhibita Dialectica, quæ iudicat, utrum membra conſentiant, utrum aliud ex alio neceſſariò ſequatur, ut ſcriptum eſt: Ecce duo gladij hîc. Igitur à Pontifice neceſſe eſt omnes Reges accipere regna. Hæc non neceſſariò cohærent. Sed infinita exempla quotidie offert uſus.

TRANSLATIO propriè eſt, quod Iuriſconſulti uocant Exceptionem, cum non reſpondetur ad rem, ſed opponitur Exceptio aliqua, ut quòd non oporteat me coram hoc Iudice cauſſam dicere, quòd aduerſario non debeat dari actio. De hac re nūc præcipiunt Iuriſconſulti, quando proſit reſpondere ad rem, quando non proſit. Quanquam autem hæc Rhetorica non collegi præcipuè ad uſum forenſem, tamē prodeſt huius ſtatus mentionem facere, ut admoneantur adoleſcentes, non ſemper de re reſpondendum eſſe, ſed ubicunq; fieri poteſt, arte fugiendum eſſe iudicij periculum. Profectò enim ſapienter dictum eſt ab Alcibiade, nec immeritò abijt in Prouerbium, Ἐγὼ φυγεῖν, μὴ ζητεῖν δίκην.

DE GENERE DELIBERATIVO.

Genus deliberatiuum uerſatur in Suadendo ac Diſſuadendo, Adhortando & Dehortando, Petendo & Precando, Conſolando & ſimilibus negocijs, ubi finis eſt non cognitio, ſed præter cognitionem actio aliqua. Huius generis plura exempla reperiuntur. Et plurimæ ſcribuntur Epiſtolæ quotidie à pueris in

ris in hoc genere, cum ab amicis aliquid petunt.

Exordia ſiunt ut in alijs cauſſis.

Narratione utimur, cum res poſcit. Verum in hoc genere ſæpe accidit, ut nihil adhuc geſtum ſit, quod narrare neceſſe ſit. Propoſitio ſequitur narrationem, & cum deeſt narratio, ſola propoſitione utimur. Nõ enim omitti propoſitio ulla in cauſſa poteſt. Ac plerunq;, ut ſit plenior ſonus, propoſitio cum amplificatione recitatur, ut: Nullum bellum aut magis neceſſarium, aut magis pium, aut magis è dignitate ueſtra, Principes, ſuſcipere poteſtis, quàm hoc bellum aduerſus Turcas, qui crudeliſsimum latrocinium his proximis annis in ipſo Germaniæ aditu, & in conſpectu ueſtro exercuerũt, uobíſq; bellum denunciantes, exitium ac uaſtitatem uniuerſæ Germaniæ, huic imperio atq; Religioni Chriſtianæ interitum, ueſtris liberis atq; coniugibus miſerrimam ſeruitutẽ minati ſunt.

Loci argumentorum tres ſunt.

- Honeſtum.
- Vtile.
- Facile.

In his comprehendimus etiam Neceſſariũ et Poſſibile. qui ideo prætermittuntur in uulgaribus præceptis, quia uidentur eſſe ἄτεχνοι, nec indigere monitore. Nam impoſsibilia non ueniunt in deliberationẽ. Neceſsitas autem non ſolum dubitantes hortatur, ſed cogit etiam inuitos. Verum quia hi duo loci, interdũ non conſpiciuntur ab omnibus, ideo in arte admonendi ſunt ſtudioſi, ut quærant eos in cauſsis, ac proferant in lucem, & dicendo illuſtrent, ut ſi quis de ſtu-

dijs literarum dicet, non tantum oſtendet, quàm ſint honeſta, quámque utilia, ſed ſi rectè conſiderabit res humanas, inueniet etiam neceſſariam eſſe literarum ſcientiam, quia ſine doctrina Religionis & Legum, non poſſunt teneri Reſpublicæ, neq; hæc ciuilis ſocietas coli. Hæc neceßitas, quia non intelligitur ab indoctis, oratione patefacienda eſt.

Naſcuntur autem hi loci, Honeſtum, Vtile, & Facile, in locis Dialecticis, definitionum & cauſſarum. Sed quia finis eſt Actio, non Cognitio, nomina habent à fine, ut animos ad agendum impellant. Expetimus enim bona, uel honeſta, uel utilia, ſi tamen conſequi poſſumus.

Honestas unde sumatur

Honeſtas autem ſumitur ex Legibus diuinis & humanis, adeoque ex uirtutum definitionibus. Pertinent autem Leges ad cauſſam efficientem. Mouent enim hominum uoluntates ad agendum. Eodem & Virtutum definitiones pertinent, cum uerè ſint leges. Cum igitur honeſtas ſumatur ex legibus, & natura uirtutum, Oportet hos, qui hoc genus aptè tractare uolent, locis communibus copioſè inſtructos eſſe, ut cū adhortabimur Principes ad ſuſcipiendum bellum contra Turcas. Primum de honeſtate docendi ſunt, recitandæ ſententiæ ex ſacris literis, quæ præcipiunt Magiſtratibus tueri ſubditos, depellere latrocinia. Confutanda eſt & ſuperſtitioſa quorundam perſuaſio, qui putant Chriſtiano non licere militare, aut bella gerere. Hæc diſputatio non uulgarem doctrinam requirit. Oſtendendum eſt enim, quòd Euangelium approbet Magiſtratus, uindictam publicam, iudicia. bella: quòd Euangelium ſit doctrina de uita æterna

& ſpi-

& ſpirituali, nec diſsipet politias, ſed multò magis cõfirmet. Iubet enim nos in hac uita corporali atq; ciuili, uti politicis rebus omnibus, ſicut hoc aëre, cibo, potu utimur. Interpretanda ſunt & dicta quædam Chriſti, quæ uidentur prohibere uindictam. Hæc enim tantum priuatam uindictam prohibent, non prohibent uindictam publicam, quæ exercetur officio Magiſtratuum. Alioqui enim diſſentirent ab alijs locis, qui apertè approbant Magiſtratus, & uindictã Magiſtratuum. Ex hoc exemplo intelligi poteſt, locum honeſtatis maximè conſtare arte, quia hæ diſputationes magnam doctrinam optimarum rerum requirunt. Et ſæpe hîc Dialecticis locis utendum eſt, cum uidelicet prius docendus eſt auditor quàm adhortandus, ut ſit in hac quæſtione de bello.

Locus honeſtatis arte cõſtat.

Loci ab utili & facili, ferè ſunt ἄτεχνοι. Nam utilitas ſæpe cernitur ab indoctis, quæ cum eſt manifeſta, exaggeranda erit oratione, ut contra Turcas, amplificanda eſt eorum crudelitas, dicendum quantam carnificinam in uictos exerceant, quàm turpis et miſera ſeruitus impendeat his, qui non ſunt interfecti. Facultas autem poſita eſt in circumſtãtijs, in comparatione uirium, temporum, locorum.

Dominantur in hoc genere exempla, ut ſi quis commemoret Carolum, Othonem, patriam aduerſus barbaros ſumma uirtute defendiſſe, infinitam Hunnorum multitudinem, quæ in Germaniam irruperat, deleuiſſe. Imperator Fridericus Sarracenos in ultimas terras, in Syriam uſque perſecutus eſt. Nos repellere dubitamus hoſtes, qui tam procul ex Thracia profecti, Germaniam ipſam populati ſunt. Affectus etiam

Expla

Affectus

in his cauſsis mouendi ſunt, qui cum in tota oratione uariè ſpargendi erunt, tum in Peroratione eligi debent hi, qui ſunt acerrimi, nec procul petiti. Nam Perorationes, ut in alijs generibus, continent repetitionem quorundam argumentorum & affectus.

Poſtquam hanc uiam adoleſcentes cognouerunt, exempla proponenda ſunt, quæ longè clarius oſtendunt, quid in hoc genere deceat, quàm præcepta. Quæ quidem ad hoc unum excogitata ſunt, ut imperitis uiam oſtendant, ut intelligere exempla poſsint, & uidere OEconomiam & ordinem omnium partium, & totius orationis formam animo complecti. Plena autem exemplis ſunt Poëmata, Hiſtoriæ, Epiſtolæ. Sed ego uelim præceptores ex Liuio eligere exempla, quæ cum & propter rerum magnitudinem, & propter ſonum orationis illuſtriora & grauiora ſint, magnam uerborum & ſententiarum copiam ſuppeditant.

Pertinent ad Suaſorium genus, & in ſacris literis, Adhortationes, Conſolationes, Deprecationes, ut in Pſalmo Miſerere, ſæpe eſt repetita propoſitio ac petitio: Inſertæ ſunt paſsim querelæ. Argumentum ducitur ab honeſto, quòd miſericordia Dei fiat illuſtrior, ſi agnoſcat. Simile eſt loco utilitatis, quòd promittit ſe uiciſsim gratum fore, prædicaturum hoc beneficium, redditurum uera Sacrificia, ſcilicet ſpiritũ contribulatum. Ita obiter alludit ad locum communẽ de Sacrificijs, quòd Ceremoniæ tantum ſint ſigna uerorum Sacrificiorum. Semper autem finis quærendus eſt. Adhortationes iubent aliquid agere: Conſolationes iubent expectare auxilium à Deo: Deprecationes

petunt aliquid nobis concedi.

DE GENERE DEMONſtratiuo.

Demonſtratiuum genus continet Laudationem & Vituperationem, ſed multum intereſt, utrum perſonæ tractentur, an facta, aut res. Alijs enim locis utendum erit in laudatione perſonæ, alijs in laude factorum & rerum.

Cum laudamus Perſonam, ordine narramus hiſtoriam, & rerum ſeriem in dicendo ſequimur. Sunt igitur loci perſonarum, Patria, Sexus, Natales, Ingenium, Educatio, Diſciplina, Doctrina, Res geſtæ, Præmia rerum geſtarum, Vitæ exitus, Opinio poſt mortem. Hic ordo hiſtoriæ magis decet in laudationibus, quàm quòd initio quidam, quaſi in ſcolis philoſophantes, partiuntur bona in tria genera: Naturæ, Animi, & Fortunæ bona. Et cum ad hæc capita, ſingulas partes hiſtoriæ accommodare uolunt, rerum ordinem confundunt. Cæterum, loci illi communes, quare Naturæ bona, quare Fortunæ bona, laudem mereantur, quantum præſtent animi bona dotibus fortunæ prudenter hiſtoriæ per occaſionem intertexi debet.

Exordia in hoc genere liberiora ſunt, ut in Epithalamijs aut Epicedijs apparet. Interdum è pompa publica, interdum ab affectu aliquo, à querela uel gratulatione inchoantur. Reliqua oratio perpetua quædam hiſtoriæ narratio eſt, in qua tamen præcipua decora amplificantur, & ad admirationem atq; imitationem proponuntur. Sed quoniam extant exempla, in quibus ratio huius generis tractandi cerni poteſt, nihil opus eſt longioribus præceptis. Iſocrates reli-

tes reliquit laudationem Euagoræ, Plinius Traiani. Extat & ab Eraſmo ſcriptus Panegyricus, lectu digniſsimus, de Philippo Rege Hiſpaniæ.

Sunt Pſalmi quidam generis Demonſtratiui, qui deſcribunt Chriſtum, hi poſſunt haberi pro breuibus Panegyricis, ut Pſal. Dixit Dominus. Item, Pſal. 67. Exurgat Deus. Pingit enim ueluti triumphalem pompam Regis, orditur ab imprecatione & gratulatione, nam hoſtibus Chriſti malè precatur, gratulatur autem pijs. Narratio continet pompam, Venit Dominus, & ducit ſecum exercitus Euangelizantium. Ex his ſunt deſcripti Principes prouinciarum, Apoſtoli & Epiſcopi, qui prouincias afflictas & uexatas recreant. Aſcendit Dominus in altum, ducit in triumpho captiuos, diſtribuit dona militibus ac populis ſuis, minatur hoſtibus ſupplicia, præcedit populus ac ſequitur, qui canit triũphale carmen. Hæc ferè ſumma eſt Pſalmi, quem ſi quis hoc modo ad artis præcepta conferet, planius intelliget & animaduertet, qui loci propriè ad Chriſtum accommodandi ſint, qui tribuant ei diuinam potentiam.

Quanquam autem oratio in hoc genere perpetua narratio eſt, tamen incidunt interdum loci, qui habent aliquam diſputationem, ubi confirmatione & confutatione utimur, ut ſi quis laudabit C. Cæſarem, excuſabit eum, quod bellum aduerſus patriam mouerit, quia inimici, cum ei beneficium populi eriperent, priores bellum indixerint ac mouerint. Quare non intulit patriæ bellum, ſed iniuſtam uim à ſuo capite depulit, cum Pompeius negaret ſe ullas conditiones pacis admiſſurum eſſe niſi allato ad ſe Cæſaris capite.

Superſunt

Superſunt aliæ ſpecies, cum factum, aut rem certam laudamus. In hoc genere omnes partes exiſtere poſſunt. Exordium, Narratio, Confirmatio, Confutatio, Concluſio. Locos mutuamur ex genere Deliberatiuo. Honeſtum, Vtile, Facile, aut Difficile: ut ſi quis laudet factum Imperatoris Lotharij Saxonis, qui Romanas leges, quæ ad id tempus, poſt occupatam Italiam à Gotthis in Bibliothecis latuerant, in forum reuocauit, & conſtituit, ut in Imperio ius ex illis legibus diceretur. Primum honeſtatis loco utemur, quòd deceat Principem efficere, ut Reſpublica leges habeat optimas. Sumemus argumenta, non ſolum à Lotharij pſona, uidelicet, à Principis officio, ſed etiam à re, hoc eſt à dignitate legum Romanarũ, quòd plenæ ſint humanitatis, prudentiæ ac iuſtitiæ, quódque nulla gens unquam meliores leges, & magis conſentientes naturæ habuerit quàm populus Romanus. Ab utili erit argumentum, quòd certæ leges muniant tranquillitatem publicam. Lotharius igitur utiliter conſuluit Reipublicæ, quòd ad omnem poſteritatem ciuitates tranquilliores reddidit. Nam antea nullo certo Iure utebantur ciuitates, ſed Magiſtratus pro ſuo arbitrio ius dicebat. Ea res, cum Tyrannidi uicina ſit, periculoſa eſt ciuitatibus. Alibi habebant barbaricas leges, uidelicet Salicas, hoc eſt, Aulicas leges Francorum, quæ multa contra humanitatem conſtituebant. Quare etiam harum gentium mores reddidit mitiores Lotharius, propoſitis legibus humanioribus. Nam mores atq; opiniones hominum magna ex parte imitantur leges. Hic conferri poteſt Lotharius cum ueteribus legum latoribus, cum Solone, cum Iu-

ſtiniano. Habet hîc laudem difficultas, quia pauci Principes ocioſi ſuſcipiunt curam emendandarum legum. At Lotharius maximis occupatus bellis, hoc egit. Poſſunt addi loci communes de noſtrorum Principum ingenijs, quòd cum ſcientia Reipublicæ gerendæ, prudentia, magnitudine animi, fide, ac iuſtitia, pares fuerint laudatiſsimis Principibus apud Græcos & Romanos, minimè ſunt exiſtimandi barbari. Ad hoc genus pertinent gratiarum actiones, in quibus beneficia commemorantur & amplificantur. Tales ſunt orationes Ciceronis de ſuo reditu, & pro M. Marcello.

Eodẽ modo res laudantur, ut Artes, Philoſophia, Eloquentia, Leges, Medicina, Pax. Honeſtas ſumitur ex cauſsis efficientibus, uidelicet, ab inuẽtoribus, ut: Philoſophia eſt donum Dei. Sicut enim diuinitus oculis lumen contingit, ita menti ueritas, ſed uerum iudicium diuinitus donatum eſt. Vtilitas ſumitur ex finibus. Philoſophia oſtendit præſidia uitæ, diſciplinam de moribus ciuilibus, leges, medicinam, numeros, menſuras, quæ res omnes in hac tota uita maximè neceſſariæ ſunt. Interdum autem facilitas, interdum difficultas laudanda erit, idq; ad conſilium Oratoris pertinet, conſiderare quid deceat. Quod quidem præceptum, ut quid deceat animaduertamus cum in tota uita, tum uerò in dicendo uel maximè requiritur. Nuſquam enim magis lucet decorum, quàm in dicendo, cum id ſit præcipuum, ac maximum ac difficilimum operum humanorum omnium.

DE LOCIS COMMVNIBVS.

Breuiter complexi ſumus cõmuniſsima præcepta de Inuen-

de Inuentione, de quibus ingentia uolumina Græci compoſuerunt. Verum ego non admodum opus eſſe longioribus præceptis in hac parte iudico. Nam uia quadam cognita, poſtea res non in libellis Rhetoricis quærendæ erunt, ſed tum à communi prudentia, tum ex alijs artibus ſumendæ. Etenim hæc præcepta non tam ad inueniendum conducunt, quàm ad eligendum idonea, cum res ex alijs artibus offeruntur. Deinde, cum imitatio magis efficiat eloquentes quàm ars, præcepta traduntur adoleſcentibus ad hoc, ut adiuuent eos in legendis orationibus diſertorum, quia ætas illa non poteſt longas cauſſas animo complecti, niſi res et argumenta certis locis, quaſi notis diſcernantur. Addemus autem ad Inuentionis præcepta unum quod maximam uim habet in omnibus diſputationibus, uidelicet, ut Hypotheſin transferamus ad Theſin. Vocant autem Hypotheſin, negocium de quo controuerſia eſt, circumſcriptum circumſtantijs, ut: Sitne bellum mouendum aduerſus Turcas. Theſin uocant generalem quæſtionem, ut: Liceátne Chriſtiano bella gerere. Facilè autem iudicari poteſt, cum de Turcico bello dicendum eſt, omnia pleniora atq; uberiora fore, ſi à ſpecie ad genus oratio transferatur, & de Magiſtratus officio, de bello in genere dicatur, quàm piũ, quàm ſanctum officium Reges faciant, ſi has gentes diuinitus ipſorum tutelæ commiſſas, aduerſus Turcicum latrocinium defendant. Hoc præcipiunt apud Ciceronem, Antonius & Craſſus, ut conſideremus, qui loci communes hæreant in cauſſa, quorum alij totam cauſſam continent, in quibus Theſis uerſatur, alij incidunt obiter. Ac Theſis illa, cum habet peculiarem

interdum in oratione locum, tum uerba & ſententias gignit in omnibus partibus orationis. Et præter hanc uariè alluditur ad alios locos, qui obiter incidunt, ut Cicero pro Milone, cum dicit, Clodium Deo propter uiolatas religiones, pœnas dediſſe, alludit ad locum communem, & breuiter probat Deum eſſe, et hunc mundum à Deo gubernari. Sed ſumamus exempla ab Eccleſiaſticis concionibus, quæ prorſus ocioſæ erunt, niſi ad præcipuos locos doctrinæ Chriſtianæ referantur. Si quis enarret hiſtoriam Dauidis, quomodo propter admiſſum adulterium à Propheta obiurgatus ſit, locus communis erit de Pœnitentia. Etſi enim & de adulterij turpitudine multa dici poſſunt, tamen delectus adhibendus eſt locorum, & excerpendus is, qui maximè proprius eſt doctrinæ Chriſtianæ. Porrò in hac hiſtoria, omnes pœnitentiæ partes, egregiè depictæ ſunt. Habet enim non ſolum obiurgationem, ſed etiam abſolutionem, quam in ſacris hiſtorijs præcipuè quærunt piæ mentes. Ac Chriſtus ipſe docet nos hoc artificium, qui ſæpe transfert Hypotheſes ad Theſes, ut cum excuſat Apoſtolos de uiolata traditione Phariſæorum, incipit in genere de traditionibus illis concionari. Cum adfertur ad eum hiſtoria de crudelitate Pilati, grauiſsimam concionem habet de Pœnitentia, Lucæ 13. Adhibentur autem loci communes, & ad probandum & ad amplificandum. Etenim ferè in omni probatione, maior naſcitur ex aliquo communi loco. Idq; diligenter obſeruent ſtudioſi, ut ſciant, ubi ſit uſus locorum communium, quos qui prudenter eliget, is demum poterit & τὰ κοινὰ καινῶς cum uolet, & quod difficilius

eſt

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0060-7

eſt τὰ καινὰ κοινῶς tractare. Ac uoco locos communes, non tantum uirtutes & uitia, ſed in omni doctrinæ genere præcipua capita, quæ fontes & ſummam artis continent. Neq; tamen omnibus ubiq; utimur, ſed unuſquiſque ſciat ſe debere ſuæ artis præcipuos locos tenere, ut cum aliqua de re dicendum erit, ſtatim offerant ſe idonei loci. Quidam putant ſe Locos communes tenere, cum de uarijs rebus coaceruatas ſententias habent, quas paßim ex Poëtis & Oratoribus excerpſerunt. Et quia iudicant hanc coaceruationem inſignium dictorum, perfectam eſſe doctrinam, nihil habent conſilij in legendis autoribus, niſi ut inde tanquam flores, dicta quædam decerpant. Interim nullam artem perfectè diſcunt, nullum ſcriptum totum intelligunt, nuſquam totum orationis genus conſiderant. Hoc ſtudium exiguam habet utilitatem, & hoc nomine plurimum nocet, quia in ſtultis, doctrinæ perſuaſionem parit, qua nihil eſt perniciosius. Sciendum eſt igitur, ita locos communes rectè cognoſci, ſi artes illæ, in quibus uerſantur, perfectè cognitæ fuerint. Et ut locos communes aptè in cauſsis intertexere poßimus, opus erit perfecta eorum cognitione. Verum quia in ciuilibus negocijs ſæpe exiſtunt diſputationes de uirtutibus, de uitijs, de fortuna, de legibus, de conſuetudine. Ideo Rhetores horum locorum præcipuè mentionem faciunt, qui tamen neque perfectè intelligi, neque copioſè ac uariè tractari poſſunt, niſi cognitis illis artibus, in quibus uerſantur. Quare neceſſe eſt ad bene dicendum addere ſtudium omnium maximarum artium, Philoſophiæ, doctrinæ Religionis, Iuris & Hiſtoriarum.

Interim

Interim tamen hoc ſtudium colligendi dicta ſcriptorum, habet aliquam utilitatem, præſertim in adoleſcentia. Habent enim multa lumina uerborum, & multas figuras, ut elegans metaphora eſt in uerſu de experientia. Diſcipulus eſt prioris poſterior dies. Neque ſolum propter uenuſtatem citantur, ſed etiam propter autoritatem, habent enim uelut pondus teſtimonij, quia à magnis uiris proditæ ſunt, ſicut Virgilius Ennianos uerſus ſuo poëmati propter grauitatem inſeruit. Et Cicero multa citat, ut: Quamobrem ἐπιχάρμειον illud teneto, neruos atque artus eſſe ſapientiæ, non temere credere. Ad hæc pleraque dicta continent grauiſsima præcepta, quare non ſolum ad ornandum, ſed uelut leges atque oracula ad confirmandum proferuntur: quale illud eſt apud Liuium, de non mutanda forma Reipublicæ, & quòd præſentia incommoda diſsimulanda ſint, quia mutatio maiora mala paritura ſit. Nota mala inquit optima, quod à Plauto ſumtum eſt, & Græci μὴ κινεῖν κακὸν εὖ κείμενον. Interdum etiam breue aliquod dictum, ita rem definit, ut magis oſtendat eam, quàm prolixè diſputationes Philoſophorum, ut definitio legis apud Demoſthenem. Quare hæc diligentia colligendi ſententias, non ſolum uerborum copiam alit, ſed nonnihil etiam ad rerum cognitionem conducit. Sed tamen ut copioſè ac uariè tractari loci communes poſsint, accedere oportet ex ipſis artibus perfectam doctrinam. Cæterum ad colligendas ſententias etiam adhibenda eſt ratio quædam. Nam & memoria adiuuabitur, cum ordine diſtribuerimus eas in certas claſſes, & hæc diſtributio rerum inter ſe ordinem oſtendet.

Eſt au-

Eſt autem & hæc quædam pars eruditionis, rerum ordinem, initia, & progreſſiones uidere. Optima autem in diſtribuendo OEconomia erit, ſi ſequemur artium diſcrimina. Cauendum eſt enim, ne confundantur artes, ſed obſeruandum, qui loci ſint Theologici, qui ſint Philoſophici. Ac Philoſophici poſſunt peti ex partibus hominis, Ratio, Artes, Prudẽtia, Virtus, Affectus, Conſuetudo, Corpus, Forma, AEtas, Fortuna, Diuitiæ, OEconomia, Coniugium, Educatio liberorum, Politia, Magiſtratus, Lex, Bellum, Pax. Facilè eſt autem genera partiri, & uidere, quæ ſententiæ, quæ exempla, quæ ſimilitudines, in qualibet ſpecie collocari debeant. De hac ratione annotandi, extat Rodolphi Agricolæ Epiſtola, quam uelim adoleſcentibus proponi ad uerbum ediſcendam.

DE AFFECTIBVS.

Vt loci communes ſparguntur in orationem, ita affectus oportet ac motus quoſdam orationi addere. Affectus autem oriuntur ex locis expetendorum ac fugiendorum, quos in genere Suaſorio & Demonſtratiuo recenſuimus, uidelicet ex honeſto, turpi, utili & inutili, Nam Honeſta atque utilia merentur amorem. Turpia, abhorrentia à natura, iniuſta, damnoſa, oderunt homines. Miſericordiam mouet calamitas, ſeu fortuna indigna ætate, genere, uirtute. Hinc intelligi poteſt, in qualibet oratione affectus in ijs partibus exiſtere, in quibus tractantur loci communes de uirtutibus & uitijs. Sed tamen illi ipſi loci, certum genus uerborum requirunt. Nam alij affectus ſunt leniores qui uocantur ἤθη, qui blandis uerbis efferuntur,

quæ

quæ ſignificationem humanitatis atque officij præbent, quale hoc eſt apud Virgilium. Omnis in Aſcanio cari ſtat cura parentis. Familiaris eſt exordijs Epiſtolarum & orationum, commemoratio officij, in qua decet nos animorum ſenſus atque inclinationes, quæ ἤθη uocantur exponere, ut ad Lentulum. Periucundæ mihi fuerunt literæ tuæ, ex quibus intellexi te perſpicere meam in te pietatem. Alij ſunt affectus uehementiores, qui dicuntur πάθη. In his utendum eſt atrocibus & tragicis uerbis. Ducuntur autem ex omnibus locis Dialecticis amplificationes, ad impellendos animos, exaggerata uel dignitate, uel turpitudine rei, ut ab exemplo, Liuius in Pleminium. Nec hominis quidquam eſt præter figuram & ſpeciem, neque Romani ciuis præter habitum ueſtitúmque & ſonum Latinæ linguæ, Peſtis ac bellua immanis, qualem fretum quondam, quo ab Sicilia diuidimur, ad perniciem nauigantium circumſediſſe fabulæ ferunt. Sed in primis ualent Hypotypoſes, cum ſigna & geſtus commemorantur, cunq; imago aliqua in oculos incurrit, quæ uim oculis atq; animo affert, ut apud Virgilium de Mezentio. Mortua quinetiam iungebant corpora uiuis. Et huius generis infinita exempla extant apud Poëtas & Hiſtoricos.

DE DISPOSITIONE.

Cicero nullam partem ſcribit plus ad uictoriam conducere, quàm diſpoſitionem. Cum enim maxima uis ſit oportunitatis, plurimum refert, quo loco ſingula dicantur. Illud certè conſtat ordinem orationis ad rerum perſpicuitatem plurimum conferre. Quare &

re & in legendis aliorum orationibus magnopere prodeſt auditoribus, diſpoſitionem oſtendere, quòd hac animaduerſa, omnia facilius percipiantur. Cum enim imperiti non poſſint longas & difficiles diſputationes intelligere, ſi ſemel decurrant oculi per uniuerſum corpus orationis, neceſſe eſt ordinem, regionéſque partium oſtendere, ut ſingula membra conſiderari queant, & iudicari quomodo conſentiant. Atque hæc diligentia quantam habeat utilitatem, exempla demonſtrant. Quantum enim lucis attulimus Epiſtolæ Pauli ad Romanos, oſtenſa diſpoſitione, quam qui non animaduerterunt, adeo nõ intellexerunt Paulum, ut qua de re ageret, ne ſuſpicari quidem potuerint, Vbi proponat, ubi diſputet, ubi deſinat, nõ uidebant: itaq; uelut hoſpites in ignota regione errabãt, ſi quãdo in eius diſputationes inciderant.

Porrò hæc pars artis, cum quidem ſit utiliſſima, non perinde difficilia præcepta habet. Nam ea quæ tradunt Rhetores perquam leuia & puerilia ſunt, ut primo loco dicatur Exordium, deinde Narratio, hanc ſequitur propoſitio, de qua dimicatio eſt, deinde Confirmatio, poſtea Confutatio, Extremus locus tribuitur Perorationi. Ac profectò mirum eſt, cum hunc ordinem in dicendo natura oſtendat etiam indoctis, tamen homines literatos interdum harum partiũ ſeriem in ſcriptis aliorum iudicandis, non uidere. Neque tamen ita accipi debent hæc præcepta, tanquam leges de rebus capitalibus in æs inciſſe. Cedunt enim interdum utilitati. Nam & Cicero quædam præiudicia tractat in cauſſa Milonis ante narrationem. Et pro Sylla, cõfutatio præcedit confirmationẽ. Quàm pruden-

prudenter diſtribuit Demoſthenes περὶ ςεφάνου, in longa & multiplici cauſſa omnes partes, ſuo quodam uſus conſilio, cum ijſdem de rebus accuſator Aeſchines, longè alium ordinem inſtituiſſet. Et hæc in legendis doctorum orationibus, οἰκονομία conſideranda eſt, non ſolum ut aliena ſcripta rectius intelligamus, ſed ut nos quoque diſcamus uidere in noſtris cauſſis, quid quo loco plurimum ualeat, quæ deceant in aditu, quæ res uelut in prima acie plurimum profecturæ uideantur, quæ debeant in turba latere ne noceant. Hæc non poſſunt in arte tradi. Nemo enim omnia tempora atque negocia complecti poteſt. Sed exempla admonere & acuere ſtudioſos poſſunt, ut quid deceat obſeruēt, & cum ad cauſſas acceſſerint, ſe ipſi conſulant, cum de ordine, tum de alijs multis rebus. Multa enim in omnibus contentionibus à nobis ipſis petere cogimur, ad quæ doctrina atq; exercitatione p̄parare nos ſtatim à prima puericia debemus.

In diſponenda Narratione rerum ſeriem plerunque ſequimur, perinde atq; fit in hiſtorijs. Atq; hæc ferè ſunt quæ docent Rhetores, de diſpoſitione, cum quidem aliarum partium diſpoſitio multò difficilior ſit. Non enim temerè in dicendo eundum eſt, ut dici ſolet, quò pedes ferunt. Sed proſpiciendus eſt finis aliquis quaſi meta, quo certo itinere perueniamus.

Tradam igitur unicum præceptum, idq; breue, quod oſtendet uiam, quomodo partes in principijs atque in contentione diſponantur: quam uiam, ſi animaduerterint adoleſcentes, plurimum adiuuabūtur, et in inueniēdo, & in diſponēdo, et in iudicandis alorum ſcriptis. Eſt aūt hoc præceptum, ut meminerint in prin-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0066-1

in principijs & in contentione argumentationes exiſtere, quarum neceſſe eſt ea eſſe membra, quæ traduntur in Dialecticis, quod ut planè perſpici poßit, addemus exempla. Ac primum de Exordijs ſciendum eſt, rarò in Exordijs Syllogiſmos eſſe, ſed plerunque ea conſtare Enthymematis, quæ nunc ita appellantur.

Initio ponitur aliqua ſententia, tanquam Exordij propoſitio, cui poſtea ſubijcitur ratio. Ita abſolutum eſt Enthymema, ſed inchoatum à conſequente. Ferè enim in ſermone probationi anteponitur propoſitio.

Porrò antecedens probatio eſt, conſequens propoſitio. Deinde interdum ſequitur, aut alia probatio, aut amplificatio, aut aduerſatiua. Quare & Græci docuerunt, Exordium quatuor ſententijs contineri. Quanquam enim ſæpe plura ſunt membra, tamen ſignificare uoluerunt, Exordij partes debere quaſi argumentationem aptè cohærere. Prima pars πρότασις eſt: Secunda κατασκευή: Tertia ἀπόδοσις: Quarta ἀξίωσις. Etſi autem non omnia Exordia ſimilia ſunt, tamen pleraque Cicero hoc modo cõponit. pro Archia initio ponit πρότασιν. Si quid in dicẽdo poſſum præcipuè Archiam eloquentia mea tueri debeo. Sequitur κατασκευή quæ eſt ratio propoſitionis, quia Archias adiuuit hæc mea ſtudia. Deinde ἀπόδοσις, concluſio Enthymematis. Si mea eloquentia alijs profuit: quanto magis iſti prodeſſe debet, à quo excitata eſt. Hîc inſeritur aduerſatiua, Sed miretur aliquis, quomodo Orator à Poëta adiuuari poßit. Hanc quoque abſoluit uno Enthymemate, quia artes inter ſe cognatæ ſunt. Deinde ἀξίωσις, petitio, ut ſe de cauſſa dicentem, audiant. Nec

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0067-6

huius formæ ualde diſsimilia ſunt alia Exordia. Interdum propoſitioni ſtatim opponitur aduerſatiua. Interdum inſeruntur quædam breues explicationes, ut pro Marcello πρότασις. Cum hactenus tacuerim, nunc redeundum eſt mihi ad ueterem dicendi cõſuetudinem: κατασκευή quia beneficium Cæſaris non poſſum tacitus præterire. ἀπόδοσις. Nam abſente Marcello carebam ſocio huius laboris, nunc eo reſtituto libenter redeo ad priſtinam dicendi conſuetudinem. Hîc accedit amplificatio per tranſlationem. Hoc beneficium, Cæſaris ad Rempublic. pertinet. Significat enim, Cæſarem uelle Rempublicam conſeruare. Neq; multò aliter diſpoſuit Demoſthenes exordium περὶ στεφάνου. πρότασις, Peto, ut mihi concedatis, ſecundum leges, ut pro me dicam, nec aſſentiamini aduerſario. Sequitur exaggeratio periculorum et quædam breuis occupatio. Poſtea κατασκευή. Res ad me pertinet. Deinde ἀπόδοσις. Peto ut me audiatis ſicut leges præcipiunt. Et accedit amplificatio ex interpretatione legis. Ad Roman. πρότασις: Gratulor uobis cognitionem Euangelij, & optarim mihi contingere, ut coràm uos docere poßim. Aduerſatiua, ſed hactenus non licuit, uerum opto, ut aliquando liceat mihi ad uos proficiſci. κατασκευή, quia debitor ſum Græcis & Barbaris. Alia ratio, in qua ineſt quædam occupatio. Nec pudet me Euangelij.

Confirmationes & Confutationes partim Syllogiſmis, partim Enthymematis conſtant. Verum illud ſciendũ eſt, orationem etſi habet certas regiones, tamen & liberiorem & pleniorem eſſe, quàm ſunt illi

conciſi

conciſi ac nudi Dialecticorū Syllogiſmi. Plerunq; autem à minore inchoatur argumentatio, ut pro Cælio. Audiſtis cum pro ſe diceret, audiſtis antea cum accuſaret, genus orationis, facultatem, copiam ſententiarum atq; uerborum, quæ ueſtra prudentia eſt perſpexiſtis, atq; in eo nō ſolum ingeniū eius elucere uidebatis, quod ſæpe etiā, ſi induſtria non alitur, ualet tamē ipſum ſuis uiribus, ſed inerat, niſi me fortè propter beneuolentiā fallebat oratio, et bonis artibus inſtituta, et cura & uigilijs elaborata. Hæc minor eſt. Sequitur maior. Atq; ſcitote Iudices eas cupiditates, quæ obijciuntur Cælio, atq; hæc ſtudia de quibus diſputo, nō facilè in eodē homine eſſe poſſe. Et in hoc cōmuni loco Cicero aliquantiſper commoratur. Concluſio uerò in proponēdo recitata eſt. In Cælio nulla reperietur luxuries. Comparent igitur Syllogiſmi mēbra, quæ etſi certa regione circūſcripta ſunt, tamen non tam anguſtis finibus incluſa cohercētur, ut Dialecticorū Syllogiſmi, qui propter breuitatē in pugna nō ſatis uirium habent. Rarò à maiore inchoatur Syllogiſmus, ut pro Milone. Maxima illecebra peccandi impunitatis ſpes eſt, hæc fuit in Clodio, nō in Milone. Sed plus Enthymematū eſt in omnibus orationibus, quæ facilè agnoſci et iudicari poſſunt, ut pro Milone. In nobis eſt quædā mens, quæ ciet atq; agitat corpus. Ergo multò magis ille perpetuus naturæ motus, mente quadā æterna regitur. Sunt & hæc Enthymemata. Clodius oderat Milonē, igitur credibile eſt, eū feciſſe inſidias. Facilè igitur intelligēt ſtudioſi, quomodo in proœmijs et in cōtentione partes collocari atq; diſtribui debeant, ſi Dialectica præcepta anīmo intuebuntur, & tamen

in ueſtiendis & ornandis ſententijs, Oratorum conſuetudinem ſequentur. Atque has quaſi regiones Dialecticorum, præcipuè mihi uidentur obſeruare Demoſthenes & Cicero, quos habuiſſe maximam ordinis curam, res oſtendit ipſa. Plurimum autem & in inueniendo adiuuabuntur ſtudioſi, ſi meminerint poſita aliqua propoſitione, deinde non procul ab ea diſcedendum eſſe, ſed quærendam eſſe eius propoſitionis uel rationem, uel amplificationem, uel aduerſatiuam. Nam hæc cum in uicinis locis naſcantur, ultro ſe offerent, præſertim his, qui mediocri exercitio ſtyli ita ſe aſſuefecerunt, ut cum aliquid inſtituunt, percurrere animo uicinos locos poßint.

LIBER SECVNDVS.

DE ELOCVTIONE.

INuentionem ac Diſpoſitionem ſequitur in arte Elocutio. Prima enim de reb. deliberatio eſt, quæ cum excogitatæ atq; inuentæ ſunt, deliberandum eſt, quo ordine ſint explicandæ. Magna enim uis eſt ordinis, cum in alijs rebus, tum maximè in docendo, & quod in Oeconomia Xenophon ſcribit οὐδὲν οὕτως οὔτ᾽ εὔχρηστον οὔτε καλὸν ἀνθρώποις ὡς ἡ τάξις. Hoc in oratione maximè cerni poteſt, quæ, ſi rebus

ordo

ordo deſit, ſimpliciter eſt ſine mente ſonus. Neq; uerò non extant multa huiuſmodi confuſè & perturbatè ſcripta, ferè in omnibus artibus, quæ quantum remorentur diſcentes, non eſt obſcurum. Tertia deliberatio, de uerbis eſt, quo genere orationis res à nobis excogitatæ, exponendæ atq; illuſtrandæ ſint. Eſt itaq; Elocutio, quæ dilucida & perſpicua oratione res exponit. Neq; uerò minus in hac parte, quàm in cæteris elaborandum eſt. Nam res ſine lumine uerborum intelligi nequeunt, quare initio huius operis error illorum reprehendendus eſt, qui contemnunt elocutionis præcepta, & falſò arbitrantur eloquendi rationem non neceſſitatis cauſſa, ſed ad inanem oſtentationem excogitatam eſſe. Hic error in cauſſa eſt, quare & olim dicendi ſtudia intermiſſa ſint, & nunc negligantur, qua ex re infinita extiterunt incommoda. Poſtquam enim dicendi ratio neglecta eſt, artes omnes confuſè & obſcurè tradi cœperunt, quia percipi res nequeunt, niſi uerbis expoſitæ ſignificantibus ac notis. Adhæc ita coniuncta hæc ſunt natura, ut qui in elocutione negligentes ſunt, multò ſint in diſpoſitione negligentiores. Et quia rationem loquendi non attendunt, ſæpe in rebus iudicandis, quæ non perſpici poſſunt, niſi cognito genere orationis, hallucinantur. Si quis uolet, ſumat exempla uel à Theologis, uel à Iuriſconſultis, ſunt enim ubiq; obuia. Quare ita ſentiendum eſt, totam eloquendi rationem neceſſitatis cauſſa excogitatam eſſe, quia certo genere orationis opus eſt, ad explicandas animorū cogitationes. Quis enim dubitat uerba notas eſſe rerum, quæ ut ſemper intelligantur, debent eſſe certæ? Sæpe etiam neceſſi-

tas poſtulat aliquid exaggerari et amplificari, ut illi quos docemus intelligāt, rem eſſe maximi faciendam. An qui de Religionibus aut de Legū & Magiſtratuū dignitate uulgus docet, non ſtudebit efficere, grandi ſono orationis, ut hæ res tantæ uideantur alijs eſſe, quantæ re ipſa ſunt. Pictores efficiunt ut alia uideantur humiliora, alia magis emineant, & ſint excitatiora, quanto magis in dicendo idem faciendū eſt, cum bona pars uitæ regatur oratione, et ſæpe de maximis rebus homines docendi ſint. Quid, quòd illi, qui maximè cōtemnunt Rhetoricen, tamen affectant huius artis laudē. Cogit enim eos natura rerum, ut uerbis illuſtrare aut amplificare ea, quæ tractāt, conentur. Hîc uerò, quàm ineptè rhetoricātur, quanto felicius hoc facerent, ſi artem à prudentiſſimis hominibus ad eum uſum traditam adhiberēt. Ac ſi tantū uoluptas caparetur ex hoc ſtudio, tamen eſſet res liberalis, ac maximè digna homine bene dicendi cura. Nulla res enim, nullus cultus, magis ornat hominem, quàm ſuauis oratio. Neq; Muſica dulcior aut iucundior auribus, aut mente percipi ulla poteſt, quàm æquabilis oratio, cōſtans bonis uerbis ac ſententijs. Quare, ſi quem nulla uoluptate talis oratio afficit, is longè à natura hominis degenerauit. Veriſſima ſunt quæ dico, et oſtendere poſſem exempla hominum, qui hæc ſtudia contemnunt, quorū feri mores oſtendunt, quantum ab humanitate abſint. Ac niſi longum eſſet, oſtenderem pluribus uerbis hæc ſtudia faciendæ orationis, mores reddere mitiores. Sed hæc encomia artis, putant aliqui in ſcolis magis ex more dici, quàm quòd res ita ſe habeat. Verum olim inter ipſa negocia cōperietis has lau-

des

des harum artium, non eſſe temerè confictas. Ac ut redeam unde digreſſus ſum. Si tantũ uoluptati ſeruiret Elocutio, tamen non eſſet negligenda tam ſuauis Muſica. Nunc ut cæteræ artes primũ inuentæ ſunt, propter neceſſarios uſus, uſum autem ſecuta eſt alicubi uoluptas: Ita hanc artem coëgit initio quærere neceßitas, erat enim certum ſermonis genus eligendũ quod intelligeretur. Erat interdum aliquid amplificandũ & exaggerandum. Poſtea ut gratior uſus eſſet, aliquid etiam uoluptati aurium datũ eſt. Quidam diſputant in graui oratione, indecorum eſſe ornatũ, quemadmodum in matrona honeſta, fucus deteſtabilis eſt. Sed hi falſò putant oratorium ornatum fucũ eſſe præter naturam accerſitum. Natiua facies eſt orationis, de qua hîc præcepta traduntur. Hanc qui corrumpunt, monſtroſam efficiunt orationem, ut Pictores monſtroſas formas pingunt, cum naturam non rectè imitantur.

TRES PARTES ELOcutionis.

Vniuerſa eloquendi ratio cõſiſtit in tribus rebus. Primum in ſermone Grammatico. Deinde in figuris. Tertio in amplificationibus. Craſſus apud Ciceronẽ libro tertio, requirit in Elocutione quatuor partes, ut latinè, ut dilucidè, ut ornatè, ut aptè dicatur. Ego idem uerbis nonnihil mutatis trado, & ut Ciceronis ſententia melius intelligi poßit, & ut cognatio Grãmatices cũ Rhetorica cerni queat. Vt enim præcepta de inuentione multum à Dialectica mutuantur, ita Elocutio plurimum ſumit à Grammatica. Nam

latinè & dilucidè loquendi ratio in Grammatica traditur. Ornatè uerò loquendi, duas habet partes apud Ciceronem, Figuras & amplificationes. Aptè loqui eſt decorum obſeruare.

¶ Eſt itaque prima Elocutionis pars, Sermo Grammaticus, qui conſtat uerbis uſitatis, proprijs & ſignificantibus, quæ iuxta Grammatica præcepta, certa ratione coniungi & conſtrui debent. Cum igitur res elegimus, & diſpoſuimus in animo, prima erit cura, ut eas Grammatico ſermone efferamus. Non enim poteſt intelligi oratio, ſi conſtet uerbis ignotis, & alienis à conſuetudine bene loquentium, aut ſi conſtructio uitioſa ſit. Primum igitur adoleſcentes præſtare debent, ut magnam copiam Grammatici ſermonis habeant in promtu, neq; enim exigua laus eſt, proprijs uerbis, etiam ſine alio ornatu, nudas res explicare poſſe. Quemadmodum ſit plerunq; in Comœdijs & Epiſtolis. Et multi Oratores in foro quondã hoc uno genere dicendi contenti fuerunt, quemadmodũ Lyſias, & alij, qui tenue quoddam filum orationis amauerunt. At noſtris temporibus ſatis magna laus eſt, hanc facultatem Grammaticè loquendi conſequi. Nam in his moribus, & in alia lingua, pauci reliquas uirtutes Elocutionis addere poſſunt, ut uidelicet figuris utantur non ineptis aut intempeſtiuis, aut magna cum grauitate, & magna ui aliquid amplificent. Facilè eſt enim iudicare, quantũ eloquentia iſtorum, qui noſtris temporibus maximè clari ſunt, in illis grauioribus uirtutibus claudicet. Quare confirmandi ſunt adoleſcentes, ut ſciant ſe multum profeciſſe, cum hoc aſſecuti ſunt, ut non deſtituat eos copia Grammatici ſermonis,

monis, etiamſi perfectius quidem efficere nõ poſſunt. Voco autem Grammaticum ſermonem, qui nõ ſolum uerbis latinis conſtat, & Syntaxin habet conſentientem puerilibus regulis, ſed etiam in quo phraſis & uocum coniunctio, imitatur conſuetudinem eorum, qui eleganter & uerè latinè, & non moleſtè locuti ſunt. Hac de re infrà plura dicemus, cum de imitatione diſputabimus. Itaq; cum ſummam laudem in dicendo habeat perſpicuitas, in primis adſit copia proprij ſermonis, qui res ſine ambiguitate ſignatè exprimat. Fugienda eſt in ſermone peregrinitas, & illam licentiam gignendi nouum ſermonem, nullo modo permittamus nobis, qua in ſcolis immodicè utuntur. Tametſi alicubi peregrinis uocabulis utendum eſt. Alia forma nunc eſt Imperij, Religio alia eſt quàm Ciceronis temporibus. Quare propter rerum nouitatem interdum uerbis nouis uti conuenit, quæ tamen uſus molliuit, Quem penes arbitrium eſt, & uis & norma loquendi. Interim tamẽ tota orationis ſtructura et phraſis, non abhorreat à Latina conſuetudine, alioqui enim non poterit intelligi. Plerunq; etiam iſti, qui nouum ſermonis genus fingunt, res amittunt. Vt enim nouum ſermonem excogitant, ita nouas res ſomniant, dum ineptè affectant laudem ſubtilitatis. Et tamen res illæ inſpectæ, nihil eſſe deprehenduntur niſi inania ſomnia. Quia notæ res omnes uerbis exponi notis & ſignificantibus poſſunt. Exempla extant infinita in omnibus artibus, ubi ſæpe ineptè finguntur noua uocabula, ut Realitas, Obiectiua, Subiectiua, apud Scotiſtas. Olim Platonici, non intelligentes Platonem, meras nugas de Ideis finxerunt: finxerunt &

Virtutes purgatiuas, & neſcio quas præterea. Hos imitatus Dionyſius, non minus fuit ineptus, cum de nulla re graui lectorem doceat, tamen illo inuſitato genere orationis mirificam expectationem de ſe concitat apud imperitos. Inepta ſunt & illa à Stoicis conficta προηγμένα *&* ἀποπροηγμένα. *Amauerunt tale dicendi genus & hæretici, ut: Valentinianus excogitauit quadrigas* αἰώνων. *Nec minus ſunt inepti Iudæorum Cabaliſtæ, qui nouis uerbis repertis, mira myſteria promittunt, cũ meras nugas doceant. Et noſtro tẽpore Anabaptiſtæ, prodigioſis figuris utũtur. Tali orationi uix unquam ſubſunt res ullæ cognitione dignæ aut utiles. Quid quòd etiam de naturis et moribus ex genere orationis iudicari ſolet. Certiſsimum enim indicium eſt monſtroſæ mentis, oratio monſtroſa: quare diligenter fugiendũ eſt genus ſermonis inuſitatum. Quia uerò tota nobis Latina lingua, nunc nõ à populo, ſed ex libris diſcenda eſt, certa ætas autorum eligenda eſt, cuius imitemur conſuetudinem, ut certum ſermonis genus, quod ſemper intelligi poſsit, quia habet exempla nota & probata, nobis comparemus. Cum autem optima & maximè perſpicua ſit oratio, qua Ciceronis ætas uſa eſt, diſcemus linguã ab eius ætatis ſcriptoribus, aut qui non longè ante Ciceronem, aut poſtea extiterunt, ut à Terentio, Cicerone, Cæſare, Liuio. Sed de hac re iterum dicemus, cum noſtram de imitatione ſententiam exponemus.*

DE FIGVRIS.

Prima cura debet eſſe proprij ſermonis, quo maximam orationis partem conſtare oportet. Interdum

tamen

tamen aut neceſsitatis aut decoris cauſſa aſpergendæ erunt figuræ. Nam ubi deſunt propria, cogit inopia ex uicino alias uoces mutuari, ut in uitibus gemmam dicunt Latini, & Græci ὀφθαλμὸν, quemadmodũ & Germani, quia proprium deeſt. Nam initio neceſsitas peperit figuras, ubi propria deerant. Tunc etiam aliud ſumere decet, cum etſi habeas proprium, tamen ſignificantius eſt aliud figuratè dictum, ut inflammatus ira, pro irato, hoc enim leuius eſt. Inuadũt urbem ſomno uinóq; ſepultã, ſignificantius eſt, quàm ſi dixiſſet ſopitam. Porrò, ut plurimum afferunt gratiæ figuræ in loco, & parcè uſurpatæ, ita uitioſiſsima & ineptiſsima oratio eſt, in qua penè nihil ſimpliciter dicitur. Seneca ſcribit Portium Latronem dixiſſe, Summam eſſe dementiam, detorquere orationem, cui rectam eſſe liceat. Hæc uox ſignificat quantopere immodicum figurarum uſum ueteres oderint.

DE TROPIS ET SCHEMATIBUS.

Græci uocant τρόπους, cum uox à propria ſignificatione ad rem ſimilem aut uicinam uertitur, ut Demoſthenes inquit, Philippum magnitudine rerum geſtarum ebrium eſſe, hîc apparet, non retineri propriam ſignificationem ebrietatis.

ΣΧΗΜΑ.

Σχήματα, uocant quaſi geſtus orationis, in quibus non eſt neceſſe mutare ſignificationem uocum, ut in interrogatione. Quo mihi fortuna, ſi non conceditur uti? Nos prius recenſebimus tropos, quos

tamen

tamen non eſt neceſſe ſubtiliter diſcernere, ſed Metaphoræ nomine ſæpe etiam in alijs ſpeciebus utimur.

Τρόποι *ſunt.*

Μεταφορά.
Μετάληψις.
Συνεκδοχή.
Μετωνυμία.
Ἀντονομασία.
Ὀνοματοποιΐα.
Κατάχρησις.

Μεταφορὰ *eſt, cum propter ſimilitudinem trãſfertur uocabulum à propria ſignificatione, ut ferreũ pectus, pro eo, quod flecti aut terreri non poteſt. Cicero miris laudibus uehit hoc genus, & uocat breuẽ ſimilitudinem, Nam ſimilitudine declaratur ea res, quæ per Metaphoram ſignificatur. Valet autem omnis collatio ad augendam perſpicuitatem, præſertim ſi admoueatur ſimilitudo ad ſenſum. Quantum dignitatis addit apibus Virgilius, cum ait, Ipſæ regem paruóſque Quirites Sufficiunt. Nam cum uellet ſobolem dicere, mutuatur nomen populi, & quidem Romani omnium gentium uictoris, ut dignitatem exigui inſecti augeret. Similitudo autem eſt, quòd apes habent ſuam quandam Rempublicam. Et Romana Reſpublica omnium optimè conſtituta erat.*

Μετάληψις *dicitur, ubi non transfertur nomen à ſimili, ut ſuprà, ſed ſumitur à cauſſa aut effectu, ut pallida mors, quia facit pallere corpora. Vinum calidum, quia calefacit corpora. Immoritur ſtudijs &*

amore

amore ſeneſcit habendi, id eſt, conſumitur. Lætum Euangelium, quia parit læticiam. Triſtis lex, quia terret & triſtitiam adfert. Ego ſum reſurrectio & uita, id eſt, reſuſcitator & uiuificator. Fortaſſe Grãmatici dixerint hæc eſſe Metonymias, ſed non ſunt ſuperſtitioſè diſcernendæ figuræ. Ego nomina ſumta à cauſis aut effectibus, Græcorum more, in hac figura colloco, ac maius quoddam interuallum & diſcrimẽ facio inter Metalepſin & Metonymiam, quàm alij faciunt, ut facilius agnoſci & diſcerni poßint.

Συνεκδοχή Comprehenſio dicitur, cum uel totum parte comprehendimus, ut mucronem dicimus pro gladio. Animam pro animante ſeu homine, ut: Omnis anima ſubdita ſit poteſtatibus. Tecta, pro ædificijs. Vel cum pro parte totum dicimus, ut cum dicimus aliquid factum eſſe, quod fieri cœpit, ut mortui peccato, qui cœperunt mori. Sic dicimus exercitũ eße cæſum, quia plurimi interfecti ſunt. Sic dicimus populum Dei ſanctum eſſe, quia aliqui ſunt ſancti. Vel cum continens pro contento ſumitur, ut, Epotos cados, pro uino epoto. Vel materia pro toto, ut ferrum pro gladio. Vel prius, aut poſterius, ex quo cætera intelligi poſſunt, ut concutere muros, pro oppugnatione. Oculi Domini ſuper iuſtos, id eſt, cura, quia diligenter conſideramus, & intuemur illa, quæ curamus. Vultus Domini ſuper facientes mala, id eſt, ira, Nam irati uultu minantur. Huiuſmodi figuræ infinitæ ſunt in ſacris literis.

Μετωνυμία, partim Metalepſi, partim Synecdochæ cognata, uerum uidetur mollior figura eſſe, quàm illæ. Nam uicinum nomen pro uicino ſumitur,

ut

ut ſignum pro ſignato, ut ſceptra pro regno, faſces pro imperio, claues pro officio uel poteſtate, toga pro pace. Hic eſt agnus Dei, id eſt, uictima, eſt enim nomen ſpeciei pro genere, ſcilicet uictima. Et Agnus peculiariter ſignificabat Chriſtum, qui erat futurus uera uictima. Metonymiæ dicuntur etiam, cum inuentorum ſeu autorū nomina ſumuntur pro rebus, ut Bacchus pro uino, Ceres pro frugibus, Mars pro bello, Moſes pro lege, Chriſtus pro Euangelio. In ſacris literis uariæ ſunt Metonymiæ, et in his nonnullæ ignotæ alijs linguis, ut calix pro ſua cuiuſq; portione, & deinde ulterius transfertur, ac pro afflictione accipitur, unctus pro rege. Nam hæ minus duræ ſunt, uirga pro caſtigatione, crux pro afflictione, iudicium pro pœna.

Αντονομασία, Cum definitionem aut etymologiam aut deſcriptionem, ~~pro aliquo nomine~~ ponimus, ut pro Homero Poëtam, pro Chriſto Saluatorem, pro Ariſtotele Philoſophum, pro ira, bilem efferueſcentem. Pro ambitione dixit Ouidius. Nec leuis ambitio perfuſáq; gloria fuco. Pro auaritia, Magnarúmue fames ſolicitauit opum. Quanquam autē non idem decet in carmine & ſoluta oratione, tamen & hæc admittit interdū deſcriptiones, ut cum Cicero pro coniuratione dicit, domeſticum latrocinium, pro improbis ciuibus, peſtem & ſtrumam ciuitatis. Et Paulus ornatiſſimè pro lege dicit χειρόγραφον contra nos ſcriptum.

Κατάχρησις, Verbi abuſus eſt, ut parricidā dicimus pro eo, qui propinquum occidit. Gratiam dicūt Theologi, nō tantum pro fauore, ſed etiā Græco aut Hebraico

Hebraico more pro beneficio aut munere. Sed in ſacris literis multa ſimilia exempla extant, quia interpretibus non licuit ubiq; Græcam aut Hebraicã phraſin mutare. Eſt & κατάχρησις, quam ſingulari cõſilio interdum uſurpamus, ut cum pro uirtutibus uicina uitia, aut econtra, dicimus, ut: pro crudelitate, ſeueritatem, pro auaritia parſimoniam.

ὀνοματοποιΐα, noua confictio eſt nominis, ut Bombarda.

Iure recenſebitur inter Tropos ὑπερβολὴ & contraria Extenuatio. Sed de his infrà de amplificatione dicemus.

Ἀλληγορία non eſt in uerbo ſed in ſententia, cũ aliqua res ſignificatur ſimilitudine quadam, ut: Ne obijcias margaritam porcis, hîc in nulla uoce tropus ullus eſt, ſed tectè aliud quiddam hac ſimilitudine ſignificauit. Nã ἀλληγορία eiuſmodi eſt collatio, in qua ſimile oſtenditur, nec tamen additur expreßè altera pars collationis, Seu ut dicã aliter, Allegoria eſt mutilatũ enthymema. Quintilianus uocat perpetuã Metaphoram. Gratũ in oratione uſum habet, parcè uſurpata, ut: Non profecturis littora bobus arat. Non datur ad Muſas currere lata uia. Virtutem poſuere dij ſudore parandam. Si crebra fuerit, reddet orationem obſcuram & ineptam. Itaq; ſunt ineptißimi, qui in ſacris literis omnia transformant in Allegorias.

DE QVATVOR SENSIbus ſacrarum literarum.

Sed quoniam huius rei mentio obiter incidit, duxi etiam adijciendam eſſe quarundam uocum interpretationem, quæ alicubi occurrunt in Theologis. Quidam

dam enim ineptè tradiderunt quatuor eſſe ſcripturæ ſenſus, Literalem, Tropologicum, Allegoricum, & Anagogicum. Et ſine diſcrimine omnes uerſus totius ſcripturæ quadrifariam interpretati ſunt. Id autem quàm ſit uitioſum facilè iudicari poteſt. Fit enim incerta oratio, diſcerpta in tot ſententias. Sed has nugas commenti ſunt homines illiterati, qui cum nullam dicendi rationem tenerent, & tamen uiderent Scripturam plenam eſſe figurarum, non potuerunt aptè de figuris iudicare. Itaque coacti ſunt nouam quandam Rhetoricam comminiſci, ut cum interpretabantur hanc ſententiam. Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Primum hiſtoriam aliquam quærebant. Nec libet recitare, quàm abſurdas et intempeſtiuas interdum hiſtorias affinxerint, ut in hoc loco planè corrumpitur germana ſententia, Si quis finget Dauidem habuiſſe Sacerdotium, hoc eſt, pacato regno, perfeciſſe ſicut bonos Principes decet, ut etiam Sacerdotium rectè conſtitueretur, doctrinam emendaſſe, & cultus ordinaſſe, Pſalmos compoſuiſſe, diſtribuiſſe Sacerdotum & Leuitarum officia.

Hæc ſunt in Principe digna laude, ſed interpretatio ad hunc Pſalmum non quadrat. Non enim propterea Dauid eſt ſacerdos, Et nominatur Sacerdotiū Melchiſedech, ut ſignificetur nouum miniſterium, diſsimile Leuitico, futurum eſſe.

Sed quamcunque hiſtoriam affinxiſſent, deinde addebant τροπολογίαν, quæ transferebat hiſtoriā ad mores, ſicut Dauid imitatus eſt Melchiſedech, ita nos imitemur eius liberalitatem, iuuemus hoſpites, pauperes

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0082-9

pauperes. Hanc tranſlationem ad mores uocabant τροπολογίαν, cũ quidem in hac uoce errarent, aliud enim ſignificat τροπολογία, uidelicet, nõ ſermonem aut interpretationem de moribus, ſed in genere quicquid figuratè effertur, ut: Calicem ſalutarem accipiam, id eſt, perferam adflictiones atque ærumnas. Nam τρόπος hoc loco non ſignificat mores, ſed uocem uerſam à natiua ſignificatione ad uicinam.

3 Tertio loco Allegoria ſequebatur, quæ pertinebat ad Eccleſiam, aut ſi quis dexterius tractabat ad Chriſtum, ut: Tu Chriſte es ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, referebántque id tantum ad cœnam Domini.

4 Quartus locus addebat ἀναγωγὴν, quæ erat interpretatio de cœleſti ſtatu. Tu eris ſacerdos, id eſt, pius erit beatus in cœlo, Deum tanquam Sacerdos celebrabis.

Errant autem & in hac uoce, cum dicunt ἀναγωγίαν pro ἀναγωγῇ, ſignificat enim ἀναγωγία petulãtiam, ſeu feritatem morũ, ab ἀναγωγὸς, quod eſt intractabilis & petulans.

Dionyſius figuram nominat ἀναγωγὴν, neq; tamen apud hunc aliud eſt, quàm Allegoria, quam quidem & ipſe immodicè prædicat. At noſtri Theologi fuerunt ineptiores, qui, ut longius etiam à ſententia Grammatica diſcederent, ultra Allegoriam finxerũt Anagogen, quæ transferret rem ad cœleſtia, ut Ieruſalem hiſtoricè ſignificet urbem eius nominis: Tropologicè, Rempublicam benè conſtitutam: Allegoricè, Eccleſiam: Anagogicè, uitam æternam ſeu cœleſtem. Et hoc modo omnes uerſus prodigioſa metamor

phoſi quadrifariam interpretabantur, quantũuis interdum dictũ aliquod repugnaret illi metamorphoſi. Cæterum nos meminerimus unam quandam ac certam & ſimplicem ſententiam ubiq; quærendam eſſe iuxta præcepta Grammaticæ, Dialecticæ & Rhetoricæ. Nam oratio, quæ non habet unam ac ſimplicem ſententiam, nihil certi docet. Si quæ figuræ occurrent, hæ non debent multos ſenſus parere, ſed iuxta conſuetudinem ſermonis unam aliquam ſententiam, quæ ad cætera quadret, quæ dicuntur. Et ad hunc uſum hæc puerilis doctrina de figuris & omni ratione dicendi reperta eſt, ut diſcamus iudicare de ſermone, & unam aliquam ac certam ſententiam ex qualibet oratione colligere. Proinde in Sacris literis illa ſententia retinenda eſt, quam cõſuetudo ſermonis parit, hæc certo docet cõſcientias de his rebus, quæ ibi traduntur, Vt in iſto loco quem citauimus, Tu es Sacerdos &c. Initio tota Narratio percurrenda eſt, et quærendæ circũſtantiæ, quis loquatur, de qua perſona loquatur. Hic reperiemus pleraq; mẽbra nihil pertinere ad Dauidem, ſed ad quendam perpetuum Regem, qui nouo quodã Sacerdotio fungetur, antiquato Leuitico. Conſtituendũ eſt igitur, quòd hic Pſalmus de uno ac ſolo Chriſto loquatur, & literalis ſenſus ſeu hiſtoricus in hoc uerſu erit de Chriſti Sacerdotio. Nunc qui uolet explicare, non accerſat allegorias, ſed hanc cauſſam ſeu literalem ſenſum de Sacerdotio Chriſti, referat ad locos cõmunes, & de his ordine dicat, iuxta Dialecticæ præcepta, Quid ſit Sacerdotium, Quid effecerit Chriſti Sacerdotiũ, Quòd noſtra iuſtitia, noſtris uictimis, noſtro cultu, nõ poſſimus placare

placare Deũ, ſed Chriſti ſacrificio placatus, donet nobis iuſtitiam, pacẽ, uitam æternam. Hoc modo literalis ſenſus illuſtratus, per definitionẽ Sacerdotij, magnopere iuuat bonas mentes. Ac in locis cõmunibus delectus adhibẽdus eſt, ubi ad Euangeliũ referenda res ſit, ubi ad decalogũ ſeu præcepta de moribus. Nam aliud in alio argumento decet. Extremi tamen loci hi ſunt, Lex ſeu Decalogus, & Euangelium, intra quos uerſari oportet hos, qui interpretantur ſcripturam.

Verum hîc interroget aliquis, an nuſquã alijs ſenſibus locus ſit. Ad hoc reſpondeo. Si omnia ſine diſcrimine uelimus transformare in uarios ſenſus, nihil habebit certi ſcriptura. Itaq; iure reprehenditur Origenes, qui omnia quantũlibet ſimpliciter dicta, tamẽ in allegorias transformat. Hæc interpretandi ratio maximè labefacit autoritatem ſcripturæ. Nam & Porphyrius hoc nomine irriſit Chriſtianã doctrinam, & ſcripſit eam nihil habere certi, ſiquidem nõ aliter atq; fabulæ Poëtarũ, in alios quoſdam ſenſus, præter Grãmaticum, omnia transformanda eſſent. Itaq; plerũq; uno ſenſu Grammatico contenti eſſe debemus, ut in præceptis, & promiſsionibus Dei. Illud uerò maximè ridiculum eſt, quòd in concionibus uel Prophetarum, uel Chriſti, item in diſputationibus dogmatum, ut in Epiſtola Pauli, quatuor ſenſus finxerunt.

Cæterũ, quædam facta extant in ſacris literis, & ceremoniæ quædam, quæ ad id inſtitutæ fuerunt, ut aliud quiddã ſignificarent: In his eſt allegoriæ locus. Quanquã ne hîc quidem anxiè quærendæ ſunt, quia ut maximè eruamus aptas allegorias, tamen in cõtrouerſijs non pariunt firmas probationes, tantũ uelut

picturæ reddunt illuſtrius, id quod ex alijs certis locis probatur.

Sunt autem huius generis pleraq; facta, ut hiſtoria Ionæ, qui poſt triduum reuixit. Mactatio agni in Paſchate. Adoratio ad propiciatorium, & aliæ Ceremoniæ.

Porrò hîc non eſt abijciendus literalis ſenſus, Sunt enim mandata Dei, quæ non licuit mutare ſine autoritate diuina. Sed ipſa facta & mores conferuntur cũ alijs rebus ſimilibus, quæ alibi ſimpliciter & ſine figuris propoſitæ ſunt. Nam ea quæ acciderũt ante patefactum Euangelium, aliquid de Euangelio ſignificabant. Quare in Euangelij ſermone reſiſtere nos oportet, nec præter Grammaticum ſenſum, nouam doctrinam quærere. Itaq; Allegoria ſequitur literalem ſententiam, ubi res ſimiles ad literalem ſenſum, uelut ad exemplum, aut imaginem comparare poſſumus, ſicut in Apologis enarrandis, mores Tyrannorum ad luporum ingenia conferuntur, aut aſtuti ad uulpeculam.

Semper autem uerſabitur allegoria in ſacris literis, inter locos præcipuos doctrinæ Chriſtianæ. Refertur enim ad regnum Chriſti, ad Pœnitentiam, ad Gratiam, ad Fidem in Chriſtum, ad doctrinã de Cruce, ad Orationem, ad officia Caritatis. Nam in his rebus acquieſcit mens Chriſtiana, neq; reſtat alia melior doctrina quærenda. Quare nihil opus eſt allegoria, ubi Prophetæ claras promiſsiones de Chriſto tradunt, aut claras ſententias de Fide, de Pœnitentia, de Cruce, de officijs Caritatis.

Neq; uerò cuiuſuis eſt artificis, dextrè tractare allegorias, aut uidere ubi deceant. Nemo enim erit idoneus

neus artifex huius rei, niſi perfectam cognitionem habeat iſtorum locorum, qui ſunt in doctrina Chriſtiana præcipui, quos paulo antè recitaui. Chriſtus alicubi alludit ad hiſtoriam Ionæ, interpretatur & Serpentem exaltatum in deſerto. Paulus in Corinthijs Velum interpretatur, quo facies Moſi tecta fuit. Hos uidemus uerſari intra locos illos, quos nominaui, & maximas res quaſi pictas his imaginibus oſtendere. Afferunt enim in loco adhibitæ, & gratiam & lucem orationi, ut ſi quis in commendatione linguarum & artium comparet ad Cophinos, in quos colligebãtur reliquiæ quinq; panum, diſciplinas humaniores. Cum enim panes ſignificent Verbum Dei, Cophini ſignificabunt linguas & artes, quibus inter homines aſſeruatur uerbum Dei. Non igitur aſpernandæ erunt homini Chriſtiano diſciplinæ humaniores, cum ſint uaſa, in quibus cœleſtis doctrina cõſeruatur. Aut ſi quis dicturus de duplici iuſtitia, ciuili & ſpirituali, dicat tabulas Moſi, intus & foris ſcriptas fuiſſe, ut ſignificaretur, eas partim de iuſtitia cordis corã Deo præcipere, partim de externa ac ciuili iuſtitia. Aut ideo duas fuiſſe tabulas, quia prior iuſtitiam ſpiritualem, qua propriè cum Deo agimus, continet: Altera præcepta de uita corporali ac ciuili. Prior continet Theologiam, ſeu uitam ſpiritualem. Secunda Politica eſt. Itaq; hæ tabulæ cõplexæ ſunt totam hominis uitã.

Extant Lutheri Commentarij in Deuteronomiũ, et in quoſdam Prophetas, qui oſtendunt, quid in hoc genere enarrandi maximè deceat. Hîc non traduntur ſolæ allegoriæ, ſed prius hiſtoria ipſa transfertur ad locos communes fidei & operum. Deinde ex locis

illis naſcũtur allegoriæ. Sed hanc rationem nemo imitari ſine excellenti doctrina poteſt. Et cum procliue ſit in hoc genere à uia deerrare, monendi ſunt imperiti, ut omiſsis allegorijs, uerſentur ſedulò in alijs locis ſcripturæ, & autoribus, ubi ſine figuris planè traditur ſumma doctrinæ Chriſtianæ. Nam Allegoriæ intempeſtiuè adhibitæ, pernicioſos errores pariunt.

Eſt autem alia quædam ratio ex ſcripturis ratiocinandi aliquid, ut cum ex uerbis Geneſis tertio ratiocinamur, Chriſtum uenturum eſſe, qui diabolum ſuperaturus ſit, & regnum diaboli euerſurus, abolito peccato & morte. Textus enim apertè dicit de regno diaboli, quòd ſit inſidiaturus humano generi uniuerſo, Sed uenturum ſemen, ut caput diaboli conculcet, Ergo Chriſtus regnum diaboli, peccatum & mortem abolebit.

Item, Chriſtus eſt uerus Sacerdos, igitur uerè placabit patrem. Hoc ex definitione Sacerdotis ſumitur. Nam hoc officium continet definitio Sacerdotis, uidelicet, placare Deum.

Item, Dauidi promittitur regnum æternum, ergo Chriſti regnum erit regnum ſpirituale, non ciuile, quia Reſpublicæ corporales non poſſunt eſſe æternæ.

Ieſaiæ 53. ſcribitur, Chriſtum moriturum eſſe: Et eodem loco uaticinatur Propheta, futurum ut eripiatur à morte. Hinc ratiocinamur, Chriſtum reſurrecturum fuiſſe à morte.

Chriſtus approbat Magiſtratum, Igitur approbat iudicia, militiam, & omnia ciuilia officia. Hæc ratio

ratio argumentandi longè præſtat Allegorijs, & ad docendum accommodata eſt, quia gignit pleraſq; firmas probationes, ideo & Chriſtus ſæpe ea utitur. Diſputat, ſe à Dauide dici Dominum. Hinc grauiſſimam ſententiam uult effici. Nam ſi Chriſtus tantum regnũ corporale habiturus fuiſſet, non fuiſſet Dominus Dauidis, ſed minor etiam iſto, quia filius erat, Nunc non ſolum maior & clarior Rex dicitur, ſed Dominus diuinitus miſſus, placaturus Patrem, & liberaturus nos à peccato & à morte. Ergo Chriſtus habebit, nõ regnum mundanum, ſed ſpirituale, reddet nobis uitam æternam. Epiſtola ad Hebræos plena eſt talium argumentorum, ut: Pontifex quotannis ſacrificabat pro peccato, Igitur peccatum non eſt abolitum oblatione Pontificis, quia quotannis recurrebat. Tales argumentationes non ſunt Allegoriæ. Non enim abijcitur ſenſus Grammaticus tanquam umbra, aut figura alterius rei, ſed pariter antecedentis & conſequentis ſententias retinere neceſſe eſt. Et argumentatione quaſi per gradus à priore ad poſteriorem peruenimus. Neq; hîc ſimile cõfertur ad ſimile, ſed ducuntur argumenta ex cauſsis, ex effectibus, ex definitionibus, ex cõtrarijs, et alijs locis Dialecticis. Verum obſeruandũ eſt, ne quid mala cõſequentia attexatur ſcripturis, néue coniungamus mẽbra ἀνακόλουθα, & nõ neceſſariò cohærentia. Nam Iudæi & Hæretici, dum ſententias non neceſſariò cohærentes mala conſequentia conglutinant, multas impias opiniones gignunt, Sicut Irenæus inquit, Hæreticos reſtim nectere de arena, quia malè cohærentia membra in argumentando connectunt.

Porrò Allegoria magis locum habet in factis enarrandis. At hac ratione argumentandi utendum eſt in dictis explicandis, in prophetijs ac promiſsionibus.

Verum & in factis ualet argumentatio, cum exempli cauſſa factum proponimus cum aliqua figura, ut: Daniel obiectus eſt leonibus propter uerbum Dei: ita & nos oportet propter uerbum Dei perpeti acerbiſsima odia hoſtium. Hîc quædam ſimilitudo oſtenditur, comparatur rabies hoſtium Euangelij, ad leonum truculentiam. Hoc genus argumentorum uocabant olim τροπολογίαν abutentes uocabulo. Nos in tali collatione, non dicimus nouum eſſe ſenſum exempli, ſed dicimus argumentationem eſſe, in qua iuxta Dialecticæ præcepta res inter ſe cognatæ aut ſimiles conferũtur. Hoc modo multa ratiocinatur Chriſtus in Euangelio ex parabolis.

Hæc duxi hoc in loco, de quatuor ſenſibus dicenda eſſe, ut admonerem unam aliquam, ac ſimplicem, & certam ſententiam in ſingulis locis quærendam eſſe, quæ cum perpetuo contextu orationis, & cum circumſtantijs negocij conſentit. Nec ubiq; licet Allegorias quærere, nec temerè aliud ex Grammatica ſententia ratiocinandum eſt, ſed uidendum, quid in unoquoque loco deceat, nec pugnantia fingenda ſunt cum articulis fidei.

1. Numerantur Allegoriæ ſpecies αἴνιγμα, quod quia eſt obſcurius, non decet in oratione. Poëtæ alicubi utuntur, ut Heſiodus, Dimidium plus toto.

2 Item εἰρωνεία, quæ eſt diſsimulatio quædam, cum id, quod reipſa detrahimus, prolixè concedimus in ſpeciem, ut, Verres homo ſanctus & diligens. Magna

gna eſt autem uarietas Ironiarum, quæ melius ex quotidianæ uitæ cõſuetudine, quàm ex præceptis cognoſci poſſunt. Interdum admiratio, interdum querela, alicubi deprecatio, alicubi contemtus, ut: Quid eſt ueritas? Deniq; uarij affectus ac geſtus adhibentur ad Ironiam. Magnam autem in loco gratiam habet: delectat enim acumen in ſalſè dictis, & tecta uituperatio ſemper uenuſtior eſt quàm apertum conuicium.

Vocant σαρκασμὸν, cū hoſtis calamitatem exprobat hoſti, ut: En agros, & quam bello Troiane petiſti, Heſperiam metire iacens. Talia ſunt: Aue rex Iudæorum. Si filius Dei es, deſcende de cruce. Verbum σαρκάζειν ſignificat rictum irritati canis, hinc translatum eſt ad exprobrationem, ut ſignificet irridere cum quadam iræ ſignificatione, qualis eſt rictus irritati canis.

Vicina eſt Ironiæ μίμησις, cum alterius geſtum repræſentamus, aut recitamus uerba. Talia ſunt apud Paulum in Coloſſ. Ne attingite, ne guſtate, ne contrectate.

Eſt & Prouerbium Allegoriæ ſpecies, quia ferè nata ſunt Prouerbia ex ſimilitudine, ut: Catulæ dominas imitantur. Qua ſimilitudine ſignificamus familiam abire in mores Domini. In Salomone multa ſunt huiuſmodi. Qui diſsipat ſepem, mordetur à colubro, id eſt, Qui ueterem formam Reipublicæ labefacit ac diſſoluit, is accerſit ſibi exitium. Sicut enim ſerpentes penetrant in hortum, rupto pariete, ita conceditur improbis licentia graſſandi in Rebuspublicis, poſtquam autoritas legum nouo exemplo labefactata eſt.

6 Poſſunt inter Allegoriæ ſpecies & Apologi numerari, cuiuſmodi ſunt Æſopi. Item fabulæ Poëtarum, ut apud Homerum Cyclopes, qui ſignificant Allegoricè homines barbaros, qui in illo littore exercebant latrocinium. Monſtroſa corporis moles conuenit barbaris & feris moribus. Oculus, opinor, ſignificabat formam galeæ, quæ olim ita fiebat, ut unam in fronte tanquã feneſtram haberet. Hoc genus interpretationis uocant μυθολογίαν. Neq; uerò inutile fuerit, interdum proponere talia argumenta adoleſcentibus, ad acuenda & exercenda ingenia. Ad hũc uſum arbitror initio, Chriſtophori imaginem confictam eſſe, quæ ſignificat Doctorem Euangelij, is enim Chriſtum gerit, monſtrandũ alijs hominibus. Oportet autem in tali uiro magnũ animi robur eſſe, Ideoq; pingitur magna corporis moles. Nam infinita pericula ſubeunda ſunt docenti Euangeliũ, quare & iſte heros per mare ac medios fluctus incedit, et undiq; circum eum natant uariæ beluæ, minantes ei exitium. Puer quem gerit exiguus eſt. Nam potentia Chriſti aliquando perexigua uidetur, laborãt & periclitantur Apoſtoli, nec uidentur adiuuari à Deo. Et queritur Chriſtophorus, inuſitatũ pondus eſſe. Puer ipſe opprimit baiulũ. Sæpe enim Deus ipſe uidetur aduerſari ac iraſci, & terret pios, ac penè ad deſperationẽ adigit. Interim tamen erigit ſe Polyphemus iſte, ac ſuſtentat ſe quadã arbore, hoc eſt, ſancti in terroribus ſuſtentant & erigunt ſe uerbo Dei. Et illa arbor primũ arida, poſtea florere incipit. Nam doctrina parit multos bonos fructus, ſeruat & Doctorem & Eccleſiam: quanquam impij iudicant doctrinam inanem et

inutilem eſſe. Præit autem in litore Senex cum lychno. Is ſignificat Prophetas, qui ante Chriſtum natū, de eo uaticinati ſunt, & teſtimonio ſuo nos confirmant. Neq; uerò deeſt uictus pijs, tametſi impij ubiq; cupiant eos perditos eſſe, ideo ſecum in pera piſcem ac panem gerit. Vides quàm aptè in hac pictura ſignificatum ſit, qualem eſſe, & quid ſuſtinere Chriſtianū ac præcipuè Doctorem Euangelij oporteat. Meritò igitur laudata eſt imago, & in omnibus picta tēplis, non ut per ſuperſtitionem coleretur, ſed ut nos admoneret noſtrorum periculorum.

DE SCHEMATIBUS.

SVprà dixi uocari Tropos, cum uocis ſignificatio ad uicinum quiddam transfertur, ut cum uulgo dicimus Crucem pro calamitate. Sed σχῆμα eſt geſtus, in quo non eſt neceſſe uocis ſignificationē mutari, ut cum dicit Poëta:

Tuta frequénſq; uia eſt per amici fallere nomen,
Tuta frequénſq; licet ſit uia crimen habet.

Hîc ubiq; retinetur propria uerborum ſignificatio, Et cum res ſine repetitione dici potuiſſet, tamen plus gratiæ habet oratio propter repetitionem. Rhetores partiuntur Schemata in σχήματα λέξεως et σχήματα διανοίας, Nam aliâs in poſitu uerborū geſtus eſt, aliâs geſtus eſt mentis potius quàm uerborū. Geſtus eſt in mente, ut cum ſignificat aliquis ſe dubitare, ſe mirari. Nos omiſſa hac ſubtili ac tenui partitione, tres figurarum ordines faciemus.

Primus omnino ad Grammaticos pertinet, de ſitu uerborũ, aut de Emphaſi ac luce uocabuli. Et ad hũc ordinem Tropi quoq; pertinent, qui excogitati ſunt, ut res quaſi picta ſimilitudine quadã fieret illuſtrior.

Secundus ordo, propriè non ad uerba, ſed ad mentem ſeu ſententiam pertinet. Sunt enim figuræ quæ addunt motum Orationi, ut Interrogatio, Admiratio, Dubitatio, Querela &c.

Poſtremus ordo maximè ad Oratorem pertinet, qui continet rationem amplificandi, hoc eſt, figuras, quæ augent orationem, & longiorem atque ampliorem efficiunt.

PRIMVS ORDO FIGVRARUM.

Grammatici recenſent figuras, primum pronunciationis, ut Syncopen, numûm pro numorum. Deinde Conſtructionis, ut: Turbaruunt. Saxa uocant Itali, medijs quæ in fluctibus aras. Hoc modo perturbatam conſtructionem uocant Hyperbaton, Sed has figuras prætermittam: Sunt enim à Grammaticis diſcendæ. Aliæ tantum in Rhetorica traduntur, tametſi & ipſæ ad Grammaticos pertineant, ut Repetitio. Hæc multas ſpecies habet & uaria nomina, quia aliâs Repetitio fit initio, aliâs in fine. Nos erimus contenti nomine generis in omnibus ſpeciebus. Cõſtat Verrem Rempublicam uenalem habuiſſe, conſtat. Vni uni odijsq; uiro. Vtuntur autem Repetitione non temerè ubiq;, ſed cum aliquid uehementius urgẽt & cupiunt efficere inſignius, quod quidem uarijs de cauſis accidit.

Vicina eſt repetitioni Copulatio, ut: Ad illũ diem Memmius erat Memmius. In hac figura poſterius eſt deſcriptio prioris. Nam in priore tantum perſona, in poſteriore qualitas ſignificatur, ut: In hoc tumultu conſul erat conſul, id eſt, erat fortis & conſtans, qualem decet eſſe cõſulem. Græci uocant πλοκήν.

Traductio repetit eandem uocem alio caſu. Qui nihil habet in uita iucundius uita, is cum uirtute non poteſt uitam colere. Apud Ciceronem pro Murena: Sit deniq; in ciuitate ea prima res propter quam ciuitas eſt omnium princeps. Magnum habet uſum in Enthymematis, ex quorũ natura oritur. Propter uirtutem nobilitas in laude eſt, igitur uirtus magis laudari meretur quàm nobilitas. Cicero in Orat. Cum gratiæ cauſſa nihil facias, tamen omnia grata ſunt. Eſt autem ταυτολογία, *cum eadem uox odioſè ſine ſingulari Emphaſi iteratur.*

Articulus, cum multa ſine cõiunctione cohærent, ut: Veni, uidi, uici. Ferte citi flammas, date tela, impellite remos. Eſt & exemplum apud Paulum ad Roman. 1. Cicero aliquando diſſolutum uocat. Græci nominant ἀσύνδετον & διάλυτον.

Πολυσύνδετον, *dicitur contrarium ſchema, ubi oratio multis coniunctionibus cohæret, ut: Athamáſque Thoáſque.*

Similiter cadens, in nominibus dicitur, cum ſimili ſono caſuum deſinunt commata, aut cola, ut: Cæſar Carolus, nulli ſuperiorum Imperatorum ſecundus eſt ullo in genere uirtutis, pleróſque autem uincit magnitudine felicitatis, nec deeſt illi laus eximia bonitatis. Græci uocant ὁμοιόπτωτον.

Similiter

Similiter deſinens, dicitur in uerbis aut aliis uocibus, cum ſimili ſono deſinunt commata, aut cola, ut audacter facere, contumelioſè dicere, Græci uocant, ὁμοιοτέλευτον.

Hypallage eſt, quoties oratio ordine rerum conuerſo effertur, Poëtis familiarior; ut apud Virgiliũ: Dare claſsibus auſtros, & apud Ciceronem: Non uidimus in urbe gladium uagina uacuum.

Agnominatio, cum ſimilitudine literarum deflectimus uocem in contrarium, ut: Incæptio eſt amentium non amantiũ. Magiſtratus eſt illi oneri potius quàm honori. Græci uocant παρονομασίαν. Cuiuſmodi ſunt, ex Oratore arator, ex Theologo matæologus.

Vicina eſt huic ἀντανάκλασις, cum idem uerbum nonnihil mutatum, aut mutata ſignificatione repetitur, ut iucundum eſt amare, ſi curetur ne quid in ſit amari. Fit & in talibus: Oppugnari pecunia poteſt bonus uir, expugnari non poteſt.

Ἔκλειψις cum deeſt aliquis caſus, ut: egóne illã? quæ me? quæ non? Pleraq; iſtiuſmodi imperfecta membra Græci uocant ἀνανταπόδοτα, hoc eſt non reddita: ut in Galatis: Ne libertatem in occaſionem carni, deeſt enim, detis.

Eſt & cognata Reticentia, quam uocant ἀποσιώπησιν, cum propter affectum aliqua ſententiæ pars præciditur, aut ſermo interrumpitur, ut Virgilius: Quos ego? ſed præſtat motos cõponere fluctus.

SECVNDVS ORDO Figurarum.

Interrogatio notior figura eſt, quàm ut opus ſit eam prolixè deſcribere. Virgilius: Quis nouus hîc no-

ſtris

ſtris ſucceßit ſedibus hoſpes? Hîc per ſe quiſq; obſeruabit, quàm multiplicem uim inſtandi, indignationis & ſimilium affectuum habeat interrogatio.

Subiectio, cum ipſi reſpondemus noſtræ interrogationi. Quid? igitur peccabimus, quia non ſumus ſub lege? non. Subiectio ἀνθυποφορὰν continet, de qua infrà dicemus.

Exclamatio, quale illud eſt: O tempora ô mores. Hei mihi qualis erat quantũ mutatus ab illo. Huc pertinent Imprecationes, Item: Obteſtationes: Per ego has lacrimas dextrámq; tuam te oro. Item, Ominationes: ut Virg. Turno tempus erit magno cum optauerit emtum, Intactum Pallanta.

Dubitatio, Græci uocant ἀπορίαν cum dubitare & neſcire nos aliquid ſignificamus. Exemplum eſt in Exordio apud Ciceronem de perfecto Oratore.

Cognatum eſt παράδοξον ſeu inopinatum, ut: Nũquam credidi fore iudices, ut reo Scauro, ne quid in eius iudicio gratia ualeret. Ac formæ multæ ſunt huius generis. Eſt enim admiratio, ut: Miror quomodo tibi in ſuſpicionem uenerim. Item ἀδύνατον, quo ſæpißimè in omni ſermone utimur. Non poſſum uerbis conſequi, quantum literæ me tuæ delectauerint. Poëtæ abundant exemplis, ut: Non mihi ſi linguæ centum ſint, oráq; centum, Ferrea uox, omnes ſcelerum comprehendere formas &c.

Communicatio, cum aduerſarium ipſum conſulimus, aut cum iudicibus deliberamus, ut: Cedo ſi uos eo loco eſſetis, quid faceretis aliud? Ita Demoſthenes interrogat AEſchinem, interrogat & Iudices, quid faciendum fuerit cum Philippus tranſiſſet in

Atticam

Atticam cum exercitu, an fuerit ultro proijcienda libertas, & urbs dedenda? Hic locus plurimum ad uictoriam prodeſt. Extorquet enim quaſi tacitam confeßionem. Neq; alibi uehementius urget AEſchinem, quàm in ea parte orationis. Obijcit ei, quòd tunc cũ dandum eſſet conſilium Reipublicæ non diſſenſerit, nunc poſtquam ſecus euenit, reprehendat. Id dicit eſſe non Oratoris, ſed Sycophantæ, non in tempore monere, ſed poſt factum conſilia reprehendere. Eſt uicina huic figuræ et Commemoratio ſeu uera ſeu ficta tacitæ opinionis Iudicũ, ut apud Ciceronem pro Milone. Eius igitur mortis ſedetis ultores, cuius uitam ſi putetis per uos reſtitui poſſe, nolitis &c. Eſt & uicina permißio, cum quædam non explicamus, ſed æſtimanda iudicibus relinquimus, aut etiam aduerſarijs.

Præteritio παράλειψις, cum ſimulamus nos aliquid relinquere, aut omittere, quod maximè obijcimus, ut: Non dicam pro quantis beneficijs talem mihi gratiam reddideris.

Auerſio ἀποστροφὴ multiplex eſt & maximam uim habet, cum perſona mutatur in oratione ueluti appellandi alicuius cauſſa, ut: Vos enim iam ego Albani tumuli atq; luci. Virgil. Ne pueri, ne tanta animis aſſueſcite bella, Neu patriæ ualidas in uiſcera uertite uires.

Licentia παῤῥησία, cum apud eos, quos uereri debebamus, quaſi liberiorem perſonam induimus, aut in commonefaciendo, aut in obiurgando, ut Cicero pro Sexto Roſcio queritur de licentia nobilitatis, in Syllæ uictoria. Idcirco ne experrecta nobilitas armis atq; ferro Rempublicam recuperauit, ut ad libidinẽ

ſuam

ſuam liberti ſeruulique nobilium bona, fortunas ueſtras, noſtráſque uexare poſſent. Et in Verrem dicit de publica infamia iudiciorum. In hoc genere crebræ extant obiurgationes populi Athenienſis apud Demoſthenem, ut: ὁρᾶτε γὰρ ὡς ἐκ τοῦ πρὸς χάριν δημηγορεῖν ἐνίους εἰς πᾶσαν προελήλυθε μοχθηρίας τὰ παρόντα πράγματα. Neq; uerò opus est multis exemplis, cum Concionatores horum temporum, in templis ſine modo utantur hoc Shemate. Sed eſt quoddam genus cum quadam ſimulatione libertatis aut noſtra, aut aliorum errata ita reprehendimus, ut figuratè adulemur, quale illud eſt pro Ligario. M. Cicero apud te defendit alium in ea uoluntate non fuiſſe, in qua ſeipſum confitetur fuiſſe. Item ſuſcepto bello Cæſar, geſto etiam ex magna parte, nulla ui coactus, iudicio meo, ac uoluntate ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſumta contra te. Hæc ideo commemorantur, ut clementia collatione errati exaggeretur. Sed eſt uenuſtiſsimum exemplum apud Herodotum. Cum Cambyſes uituperatus propter ebrietatem, Senatum Perſici regni conuocaſſet, ac Principes iuſsiſſet palàm dicere, ſi quid in eo reprehendendum putarent, cum res tantas geſsiſſet. Hîc cum ordine ſinguli ampliſsimis laudibus Cambyſen propter metum ornaſſent, ac patri Cyro prætuliſſent, quia Aegyptum Cyri regno adieciſſet. Tandem Crœſus iuſſus dicere, reprehendit aliorum orationes, inquiens nondum eſſe parem Cyro Cambyſen, quia Cambyſes nondum talem filium regno genuiſſet, qualem reliquit Cyrus. Hæc figurata reprehenſio plus habuit adulationis, quàm aliorum magnifica Encomia, & ina

nem ridet barbarici Tyranni uanitatem. Variè utuntur homines aſtuti, cum hac figura, tum alijs, eáq; uarietas cum arte comprehendi non poßit, in quotidiana uitæ conſuetudine obſeruanda erit, quam tamen deprehendent facilius, ſi qui ab arte adiuuantur, ubi locus oſtenditur, & unius atq; alterius formæ exempla traduntur, ex quibus iudicari uicina poſſunt. Sicut enim nulla arte geſtus omnes corporis comprehendi poſſent, ita nec orationis geſtus ac motus omnes numerari queunt.

TERTIVS ORDO FIGVRARVM.

In tertio ordine collocauimus eas figuras, quæ augent orationem, & reddunt locupletiorem. Sicut autem hoc eloquentiæ ſummum opus eſt, alia amplificare, alia extenuare, ita difficile eſt imperitis huius rei efficiendæ uiam atq; rationem uidere. Itaque cum legunt diſertorum Orationes, mirantur unde ſumſerint una de re tantam ſententiarum ac uerborum copiam. Figuræ ſuprà traditæ, etiam ab indoctis facilè iudicari poſſunt. Sed amplificatio ſingularem requirit artem atq; uſum. Ad hanc rem ſcripti ſunt utilißimi libri de Copia Eraſmi, quorum prior continet figuras, quibus uerba uariantur. Poſterior continet figuras, quæ maiorem rerum copiam ſuppeditant. Idem nos in hoc tertio figurarum ordine docebimus, quomodo creſcat oratio, partim uerbis, partim etiam rebus aucta. Sed nos breuiores erimus, quia omnibus in manu ſunt Eraſmi libelli, quorum quidem mentionem & ob hanc cauſſam hoc loco fecimus, ut obiter admoneremus im-

mus imperitos, qua in parte Rhetorices præcipuè uſus ſit illorum Eraſmi præceptorum. Cum enim res inuentæ atq; diſpoſitæ ſunt, quæ negocij ſubſtantiam continent, poſtea uidendum eſt, ubi pluribus uerbis in una re utendum ſit, ut uerbis tanquam pictæ & illuminatæ res fiant illuſtriores. Deinde ubi etiam proſit plus addere rerum. Horum alterum docet Eraſmus efficere priore libello, alterum poſteriore.

Obſeruet autem ſtudioſus lector figuras omnes, præſertim has, quæ augent orationem ex locis Dialecticis oriri. Ad quos ſi quis prudenter ſciet eas referre, pleraq; in cauſsis ſubtiliter & acutè iudicare, & definitas negocij regiones melius uidere poterit. Nam ijdem loci cum confirmandi aut confutandi cauſſa adhibentur, argumenta ſunt ac nerui, ut uocant. Cum adhibentur illuminandi cauſſa, dicuntur ornamenta. Ac pleraq; non tantum ad pugnæ ſpeciem comparata ſunt, ſed argumentis pondus addunt.

Eſt autem hæc prima & præcipua augendi ratio, transferre ὑπόθεσιν ad θέσιν, hoc eſt, transferre cauſſam ad locum communem, qua de re ſæpe præcipit Cicero, ut nos ſuprà diximus. Quomodo autem hoc fieri conueniat, in exemplis facilius, quàm in præceptis cerni poteſt, ſi tamen admonitus lector ſciet, ſe debere conſiderare, quòd res ad locum communem referatur. Variè enim intertexuntur cauſsis loci communes, aliâs fit hoc apertè & prolixè, aliâs fit breuiter & diſsimulanter. Eſtq; mediocris cuiuſdam tum uſus, tum prudentiæ, uidere quid in hac re deceat, & ubi recipiat oratio locos communes. Si de bello Turcico dicendum ſit, duo ſunt præcipui loci commu-

communes, in certis partibus apertè tractandi, cæterum ita ſpargendi ſunt in totam orationem, ut ad eos alludere dicentem intelligi poßit. Sunt autem hi loci. Prior eſt, pium ac neceſſarium officium eſſe Chriſtiani Principis, bello defendere ſuos, ac tueri ciuilem ſtatum, religiones ac leges. Alter eſt de immanitate gentis Turcicæ, quanta ſit in illa barbarie impietas aduerſus Deum, quanta crudelitas atq; immanitas aduerſus homines. Ex his quaſi fontibus non ornamenta tantum, ſed etiam probationes ſumuntur. Nam locus communis continet maiorem in principali Syllogiſmo cauſſæ. Itaq; in ea parte orationis, quæ maiorem exponit, apertè tractandus atq; ornandus eſt locus communis. Id fecit Cicero, cum ſæpe aliâs, tum pro Milone, ubi exaggerat uim legis naturæ, quòd liceat uim ui repellere. Nam ex illa lege ſumitur maior in probatione. Iſocrates bonam partem operis conſumit in locis cõmunibus. Sed hoc illum magis decuit, quia nonnihil à ueritate actionum recedunt Panegyrici. In foro ac negocijs uerecundior eſſe debet ornatus. Non rarò tamen Demoſthenes, & ſi nemo uerecundius dixit, integros locos communes tractat, ut cum hanc maiorem ſui Syllogiſmi exponit, probaturus ſe honeſtè conſuluiſſe. Semper Athenienſes ſeruitutem non ſolum à ſe, ſed etiam à tota Græcia, quamlibet magno cum periculo depulerunt. In hac ſententia diu commoratur, eámq; cum exemplis, tum alijs figuris amplificat. Narrat Cyrſilum, cum Xerxes bellum Græciæ intuliſſet, utilia quidem, ſed indigna Athenienſium gloria ſuadentem, adeo non permouiſſe Athenienſes, ut non ſolum ipſum ciues, ſed etiam uxorem eius

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0102-1

rem eius mulieres lapidibus obruerint. Et addit cauſſam facti: οὐ γὰρ ἐζήτουν οἱ τότε ἀθηναῖοι, οὔτε ῥήτορα, οὔτε στρατηγὸν δι' ὅτου δουλεύσουσιν εὐτυχῶς, ἀλλ' οὐδὲ ζῆν ἠξίουν, εἰ μὴ μετὰ ἐλευθερίας αὐτοῖς ἐξέσται τοῦτο ποιεῖν, ἡγεῖτο γὰρ αὐτῶν ἕκαστος οὐχὶ τῷ πατρὶ καὶ τῇ μητρὶ μόνον γεγενῆσθαι, ἀλλὰ καὶ τῇ πατρίδι. Hæc omnia naſcuntur ex collatione utilitatis & honeſtatis, ex officijs boni ciuis, & ut Dialecticè loquamur, ex cauſsis finalibus, quòd homines ad honeſtatem procreati ſint, non ad turpitudinem, quòd ciues libertatem tueri deceat, quia in ſeruitute non poſsint ſine turpitudine uiuere, cum ſeruitus non regatur iure ac legibus, ſed ex libidine illorum, qui multa iniuſta imperant. Apud Liuium Annibal petens à Scipione pacem, argumentum ſumit ex loco cõmuni, de fortunæ inconſtantia, quod maximè fallere ſoleat, ſi initio nimium blanda fuerit. Et hunc locum ſpargit in totam orationem. Nam in alijs partibus orationis, ubi non tractatur apertè locus communis, tamen obiter admonendus eſt auditor, ut animum ſuum eò referat, & utendum uerbis quibuſdam in loco communi natis. Omnis enim ratio perſuadendi ac mouendorum animorum, ſumitur ex illis locis, qui continent uirtutis officia, & uitæ caſus. In Epiphonematis uerò & Epilogis repetuntur loci communes magis apertè. Vt apud Liuium in oratione Fabij ad L. Aemylium Coſ. A ueritate laborare nimis ſæpe ius aiunt, extingui nunquam. Gloriam qui ſpreuerit, ueram habebit:

bebit: Siue timidum pro cauto, tardum pro conſiderato, imbellem pro perito belli uocent. Malo te ſapiens hoſtis metuat, quàm ſtulti ciues laudent. Incidunt autem & ſubinde propter uarietatem circumſtantiarum multi loci communes in eandē rem, quos non uidere, non animaduertere in agendo flagitium eſt, ut quamuis nos duos de Turcico bello locos poſuerimus, tamen aliter agenda res erit apud Germanos Principes, quàm apud alias nationes. Nam etſi hoc eſt commune officium omnium Regum ac Principum tueri religiones, ac diſciplinam ciuilem, tamen alijs ſatis eſt tueri regna patria. Sed Germani cum habeant ſummum imperium, debent ſentire commiſſam ſibi tutelam uniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ. Et ſicut alijs Regibus autoritate anteſtat Imperator, ita publici conſilij dux atq; autor eſſe debet, & alios reges ceſſantes, ad ſocietatē tantæ rei exuſcitare. Hîc, ut uides, perſona parit nouum locum cōmunem, quid Imperatori conueniat, præter commune Regum officium. Et addenda ſunt πάθη, quale hoc eſt ex conſequentibus. Quàm ſint Germani Principes rationem reddituri Chriſto, cum in illo terribili iudicio, coget eos cauſſam neglecti officij dicere, ſi non dent operā, ut impiam & miſeram ſeruitutem, tum à ſe, tum ab exteris nationibus depellant? Hæc propter rerum magnitudinem facilè poſſunt augeri. Sed cum exempla ubiq; ſe offerant, nolumus eſſe longiores. Hæc uerò eò recitauimus, ut adoleſcentes facilius animaduertere ſimilia in ſcriptis diſertorum poſſent, & quandam huius rei efficiendæ rationem ex ipſis exemplis diſcerent. Cicero in perfecto Oratore ſcribit has duas partes in

tes in oratione maximè actuoſas eſſe, uidelicet θέσιν & αὔξησιν. Θέσις eſt, ut dixi, locus communis ex quo præcipua probatio oritur: αὔξησις etſi & ipſa ex loco communi ſumitur, tamen magis in ea parte uerſatur, quæ dicitur minor in Syllogiſmo, ut in noſtro exemplo exaggeranda ſunt ea, quæ inflammant animos contra Turcas, uidelicet, Turcicæ gentis impietas atq; crudelitas, quòd religionem delere conentur, quòd crudeliſsimi ſint in uictoria, quòd infantes à complexu matrũ abſtractos mactare ſoleant, quòd nulla ætatis aut ſexus diſcrimina obſeruent, quòd miſeras puellas, pueros, mulieres abſtrahant ad fœdiſsimas libidines, quòd poſtea miſerrima ſeruitus perpetienda ſit his, qui ſub Turcis uiuunt, ubi religio Chriſti deleta ſit, ubi nullæ ſint honeſtæ leges, ubi turpiſſima exempla quotidie uerſentur ob oculos, ubi liceat cuilibet gregario militi ad ſtuprum abripere optimi cuiuſq; uxorem ac liberos. Quanto ſatius eſt ſemel fortiter in acie mori, quàm tali conditione uiuere. Hæc omnia propriè ad minorem Syllogiſmi pertinẽt. Etſi θέσις etiam, ſeu maior Syllogiſmi, ſuam habet αὔξησιν & amplificationem. Sed quoniam minor eſt propria cauſſæ & perſonarum, αὔξησις in hac parte dominatur, quæ tamen & ipſa tum ex Theſi, tum ex alijs locis, quos perſona parit, oritur.

Cum autem ſuprà dixerim ex locis Dialecticis ortas eſſe figuras ſententiarum. Sunt enim ijdem docendi atq; ornandi loci, addemus titulos ut aliquo modo agnoſci cognatio poſsit. Vtimur autem in hac comparatione locorum Dialecticorum, & figurarum elo-

cutionis non nimis ſubtili ac ſuperſtitioſa ratione. Satis eſt enim ad eam rem adhibere mediocrem quandā prudentiam, & aliqua ex parte cognationem uidere, ut fontes ornamentorum & negociorum regiones animaduerti queant. Nimia ſubtilitas in artibus remoratur diſcentium ſtudia, ac ne iudicari quidem à pueritia poteſt.

EX DEFINITIONE.

Primum amplificamus aut extenuamus ſingulis uerbis. Amplificamus per αὔξησιν, *cum uerbo utimur, quod rei magnitudinem ſuperare uidetur, ut pro conuiciari, debacchari: pro errato, ſcelus. In hac re Tropi dominantur, quia enim pingunt res per ſe ſimilitudines, illa ſimulachra incurrentia in oculos, efficiunt res conſpectiores, ut cum pro ſtolido, aſinum dicimus. Et Virgilius: Inuadunt urbem ſomno uinóque ſepultam. Plenius eſt enim, quàm ſi dixiſſet, ſomno & uino oppreſſam. At Hyperbole dicitur, cum res iuſto altius attollitur, ut: It clamor cœlo.*

Extenuamus per ταπείνωσιν *ſeu* μείωσιν, *id eſt, diminutionem, ut cum dicimus perſtringere, pro uulnerare: pro ſæuitia, iracundiam: pro ſcelere, erratum. Oportet enim noſſe oratorem pondera uerborum ac uidere quid in ſingulis locis deceat. Pericles dicitur in concionem aſcenſurus, optare ſolitus, ne quod ei uerbum in mentem ueniret, quo populus offendi poſſet. Ita & nos diligenter expendere conuenit, quæ uerba in qualibet cauſſa proſint, quæ noceant.*

Interpretatio Græce συνωνυμία. *Fabius uocat*

congeriem

congeriem uerborum, cum multa uerba penè Synonima coniungimus, ut Turci crudeliſsimè trucidant & mactant infantes. Hîc non accedit plus rerum, tantum creſcit numerus uerborum. Poterat eadem ſignificatione dici: Turci crudeliter occidunt infantes.

Liuius, Tempus eſt opulenta uos ac ditia ſtipendia facere, & magna operæ precia mereri. Fit enim & pluribus uerbis Synonymia, cum oratio exponitur oratione, ut pro Archia. Si quibus regionibus uitæ ſpacium circumſcriptum eſt, eiſdem omnes cogitationes terminaret ſuas, nec tantis ſe laboribus frangeret, neq; tot curis uigilijsq; angeretur, nec toties de uita ipſa dimicaret. Hîc eadem ſententia ſubinde alijs uerbis effertur. Decet autem in poſterioribus uerbis ἔμφασιν eſſe maiorem.

4 Expolitio uicina eſt Synonymiæ, quæ eandem ſententiam commutatis uerbis explicat, ſed aliquanto longius accerſit interpretationes, uidelicet non ſolum à uerbis uicinis, ſed à rebus cognatis, quæ quaſi ratiocinatione idem efficiunt, ut apud Lucanum:

Bella per AEmathios plus quàm ciuilia campos.

Initium ſimplex eſt, cætera à genere delicti, ab hypotypoſi aciei, pugnæ atq; armorum ſumuntur.

Iúsq; datum ſceleri canimus, populúmq; potentem
In ſua uictrici conuerſum uiſcera dextra.
Cognatáſq; acies & rupto fœdere regni,
Certatum, totis concuſſi uiribus orbis,
In commune nefas, infeſtiſq; obuia ſignis,
Signa pares aquilas, & pila minantia pilis.

Et Ouidius multis uerſibus hanc unam ſententiam ſubinde repetit. Vulgus anteponit utilitatem hone-

ſtati, affirmatiuè ait.

ouid: de ponto

Cura quid expediat prior eſt, quàm quid ſit honeſtū,
Et cum fortuna ſtátq; caditq; fides.

Deinde negatiuè.

Nec facilè inuenies multis è milibus unum,
Virtutem precium, qui putet eſſe ſui.
Ipſe decor recti, facti ſi præmia deſint,
Non mouet & gratis pœnitet eſſe probum.
Nil niſi quod prodeſt carum eſt, en detrahe menti
Spem fructus auidæ, nemo petendus erit.
At reditus iam quiſq; ſuos amat, & ſibi quid ſit
Vtile, ſollicitis computat articulis.

Vtimur hac figura ubi prodeſt commorari in aliqua re, ac diu detinere auditorem, in eius rei cogitatione, ut aut doceatur, aut moueatur. Quanquam non hoc tantum loco utendum erit, ſed addendæ etiam ex alijs locis amplificationes. Sicut autem in picturis alia excitanda ſunt, alia occultanda, & quaſi procul oſtendenda, ita in oratione ſingularis prudentia eſt uidere, quid debeat eminere, quid conducat tegere, & breuiter in tranſcurſu indicare. AEſchines hanc ſententiam. Is qui ſuos non amat, non poteſt amare Rem publicam, aliquoties repetit, paulùm admodum mutatis uerbis, ὁ γὰρ μισότεκνος καὶ πατὴρ πονηρὸς οὐκ ἄν ποτε γένοιτο δημαγωγὸς χρηστὸς, οὐδὲ ὁ τὰ φίλτατα καὶ οἰκειότατα σώματα μὴ στέργων, οὐδέποτε ὑμᾶς περὶ πλείονος ποιήσεται ἢ τοὺς ἀλλοτρίους, οὐδέγε ὁ ἰδίᾳ πονηρὸς, οὐκ ἄν ποτε γένοιτο δημοσίᾳ χρηστός,

A ſimili

ὁ γὰρ etc. Nam osor liberorum & pater improbus nunquam fi[et] et dux populi utilis neque non amans dilectissimas & familiarissimas personas nunquam pluris faciet nos quam alienos, neque vero improbus privatim nunquam fiet utilis ... publice, neque qui cum domi malus nunquam inerit in Macedonia per legationem honestus & bonus, non enim mores sed locum permutavit.

στός, οὐδ' ὅσις ἐστὶν οἴκοι φαῦλος, οὐδὲ ποτ' ἦν ἐν Μακεδονίᾳ κατὰ τὴν πρεσβείαν καλὸς κἀγαθός, οὐ γὰρ τὸν τρόπον, ἀλλὰ τὸν τόπον μετήλλαξε.

Coelum non animum mutant qui trans mare currunt.

Definitio prorſus hîc ſignificat idem quod Dialecticis. Vt *enim in probando plurima ac firmiſsima argumenta ex definitionibus, ita in ornando ſæpe apertè ponitur definitio, ut:* Demoſthenes *legem definit contra* Ariſtogitonem. Aeſchines *definit bonum ciuem uerſantem in* Republica. Cicero *in lege* Agraria *definit popularem conſulem: pro lege* Manilia *definit* Imperatorem: *pro* Sextio *definit optimates.* Et *multæ ſunt breues definitiones in ornamentis, in quibus uirtutes à uicinis uitijs diſcernuntur, ut:* Fortitudo *eſt, quæ cum honeſta ratione ſuſcipit periculum.* Non *eſt fortitudo, ſed temeritas, ſine honeſta ratione periculum adire.* In Piſonem *interpretatur furias:* Nolite *enim putare* P. C. *ut in ſua ſcena uidetis, homines conſceleratos impulſu* Deorum, *terreri furiarum tædis ardentibus, ſua quenq; fraus, ſuum facinus, ſuũ ſcelus, ſua audacia de ſanitate ac mente deturbat.* Hæ *ſunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces.* Pro Cælio: Aliud *eſt maledicere, aliud accuſare &c.* Eſt & *hoc ex definitione ſumtum.* Magiſtratus Dij *appellantur.* Nam Dei *appellatio eſt definitio quædam* Magiſtratus, *ergo debent res diuinas in terris, ſcilicet leges & religiones tueri.*

DE DIVISIONE.

Diſtributio *Græcè* μερισμὸς *cum totũ in partes aut membra partimur, ut:* Tota Reſpublica *periclitatur.*

clitatur. Principum autoritas labefactatur, Optimatum conſilia repudiantur, Plebs non patitur ſe iure ac legibus regi. Sine ſcientia literarum non poſſunt teneri Reſpublicæ. Non enim poſſunt tradi religiones, retineri leges & ciuilis diſciplina ſine literis. Facilè eſt infinita huius formæ exempla reperire. Cicero: Hæc ſtudia adoleſcentiam agunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, aduerſis perfugium & ſolatium præbent. Pertinet huc & διάλυσις, ut: Iudices partim gratia, partim pecunia corrupti ſunt.

Congeries, quando plures ſpecies coaceruantur, ut apud Saluſtium de Catilina. Animus audax, ſubdolus, uarius, cuiuslibet rei ſimulator ac diſsimulator, alieni appetens. Eſt & Rom. 1. Plenos omni iniuſtitia, malicia, dolis &c. Plenæ ſunt enim ſacræ literæ ornamentorum omnis generis. Græci uocant συναθροισμὸν, quam nos Congeriem appellamus.

Incrementum eſt, cum non eiuſdem ſignificationis uerba coniungimus, ſed per gradus ab infimis ad ſumma imus, ut: Percuſsit, ſauciauit, occidit. Scipio apud Liuium: Fudi, fugaui, Hiſpania expuli. Hoc Schema imitatur ordinem cauſſarum & effectuum. Neque fit tantum in ſingulis uerbis, ſed etiam pluribus membris, ut apud Ciceronem: Facinus eſt uincire ciuem Romanum, ſcelus uerberare, parricidium necare. Sacrilegium eſt diripere ac diſsipare bona Eccleſiarum. Parricidium eſt fame necare miſeros paſtores, quibus ex illis bonis uictus debebatur.

EX CAVSSIS.

Αἰτιολογία eſt, cum cauſſam recitamus, ut: Si quid

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0110-6

quid eſt in me ingenij Iudices, iure repetit Archias fructum meorum ſtudiorum. Sequitur ratio: quia Archias fuit mihi autor ſuſcipiendi hæc ſtudia. Huc pertinet δικαιολογία, cum aliquam officij rationem exponimus, aut excuſationem, quòd uidelicet iure, quòd honeſtè faciamus, ut quanquam eſt amicus, tamen decet amicitiæ ueritatem anteferre. Talia ſunt et ornamenta, quæ ex cuiuſq; officio ſumuntur, quo genere plurimum utimur, ut: Epiſcopi eſt ſanare & explicare dubitantes conſcientias, non armis Eccleſias diſsipare.

Affine eſt ἀναγκαῖον, cum allegatur neceſsitas, quæ, ut conſtat, ſingularem uim in deliberationibus habet, ut in contione Annibalis libro primo ſecundi belli Punici. Illis timidis & ignauis eſſe licet, qui receptum habent, uobis neceſſe eſt fortibus uiris eſſe, quibus ad effugium nihil eſt reliquum. Cum impoſsibile ſit Reſpublicas retineri ſine literarum ſcientia, neceſſe eſt Magiſtratus, ſtudia literarum excitare atq; conſeruare.

Translatio μετάστασις uocatur, cum alicuius rei cauſſa confertur in locum digniorem, aut magis profuturum dicenti, ut Cicero pro Marcello hortatur Cæſarem, ut tueatur uitam, non tantum ſua cauſſa, ſed Reipublicæ cauſſa, quia maximè expediat Reipublicæ ipſum uiuere. Tale eſt hoc, quo nos ſæpe utimur. Hæc ſtudia literarum non tantum ad priuatam utilitatem pertinent, ſed ad Rempublicam. Nam hæc tractatio literarum togata quædam militia eſt. Sicut enim foris defenſio Reipublicæ armatis exercitibus commiſſa eſt, ita domi cuſtodia Reipublicæ, literatis

mandata

mandata eſt, qui religiones docent, & exercent iudicia: quibus rebus pax domi continetur. Translatio eſt apud Liuium, ubi Scipio cauſſam ſeditionis à multitudine in paucos confert. Multitudo omnis ſicut natura maris per ſe immobilis eſt, ut uenti & auræ cient, ita aut tranquillum, aut procellæ in uobis ſunt, & cauſſa atq; origo omnis furoris penes autores eſt, uos contagione inſaniſtis. Transfert & Demoſthenes euentum belli in fortunam, & quemadmodum gubernatori, qui ſummo conſilio nauim regens, ui tempeſtatis ſuperatus ſit, naufragium imputari non debet, ita ſibi euentum belli negat imputandum, qui ſummo conſilio, ſummáque fide Rempublicam adminiſtrauerit. Eſt & apud Paulum translatio Cap. 7. ad Rom. Cum dictum eſſet lege augeri peccatum. Poſtea confertur cauſſa in naturam peccatricem, non in legem, quia lex bona eſt.

Huc pertinet Color. Non enim idem ſignificat Color quod Schema, ut uulgus putat: Sed color eſt ſpecies figuræ, ſignificat enim narrationem ueriſimiliter fictam, ut cum fingimus, quid aliquis opinetur, quid dixerit, quid fecerit. Cum cauſſam alicuius facti nobis commodam fingimus: Sic fingit Cic. Clodium dixiſſe triduo periturum Milonem, cum ipſe ad Atticum ſcribat triduo periturum Clodium. Poëtæ pleni ſunt huiuſmodi narrationibus quia res fictas deſcribunt. Sumuntur autem colores ex circumſtantijs, ex geſtu, ex cauſsis, ex ſignis conſequentibus aut præcedentibus. Ouidius ſumſit ex conſequentibus, cum ait: Arma uiri fortis medios mittantur in hoſtes, Inde iubete peti, q.d. hoc erit ſignum uter dignior ſit, uter uirtute præſtet.

Et huc

Et huc pertinet calumnia, qua rectè dicta ac facta deprauantur, de qua tametſi præcepta extant in Sophiſticis ſyllogiſmis Ariſtotelis, tamen hæc tempora habent artificium multò callidius, quòd multis opes ac dignitatem parit. Tota res ex loco cauſſarum & ſignorum interpretatione, & exemplis uafrè detortis ducitur. Nam in rectè factis, malas cauſſas hoc eſt, praua conſilia quærunt, inſidioſè aucupantur ſigna, quæ uariè exponi poſſunt, ut Phariſæi interpretabantur Chriſtum affectare regnum, quia patiebatur multitudinem ad ſe confluere, diſcendi cauſſa. Itē mores transferebant ad uicina uitia, quia Chriſtus communi more uiuebat, accuſabant eum intemperantiæ. Ad hæc adhibenda eſt diligentia, ut benefactis diſsimulatis aut extenuatis, errata exaggerentur in immenſum. Sicut uulgus ſolet de Magiſtratibus iudicare, quod ingentia beneficia non uidet, uidelicet quòd pacem conſeruant, atq; ocium ſuppeditant ad educationem atq; inſtitutionem ſobolis, ad res domeſticas retinendas, augendas atque ornandas, Interim ſi qua leuia errata inciderint de Magiſtratuum negligentia, tragicè conqueruntur. Sed in tanta improbitate hominum infinita exempla ſuppeditat uſus uitæ.

Gradatio κλίμαξ, cum per gradus itur ab alijs ad alia, ita ut ſemper proximum uerbum repetatur, ut: Secundæ res pariunt negligentiam, negligentia temeritatem, temeritas euertit homines. Apud Paulum eſt: Tribulatio patientiam affert, patientia probationem, probatio ſpem. Diximus autem in Dialecticis hoc modo connecti cauſſas & effectus, genera & ſpecies.

De con-

DE CONTRARIIS.

Contentio ἀντίθεσις, cum per contraria amplificamus, ſeu declaramus aliquid. Nam collatio contrariorum magnam uim habet ad illuſtrandum. Fit autẽ ſingulis uerbis, ut: Non eſt uera, ſed falſa gloria, uulgo placere. Aut integris orationibus, ut: Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes. Pellitur è medio ſapientia, ui geritur res. Donec eris felix multos numerabis amicos. Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris. Si ſecundum carnem uixeritis moriemini. Si ſpiritu facta carnis mortificabitis, uiuetis. Variè conferuntur contraria, ſed nos uno titulo Antitheſis pleráſq; alias ſpecies comprehendimus. Nam illa nimis exiliter conciſa ſpecierum partitio, obſcura eſt.

Commutatio ἀντιμεταβολὴ ſeu μετάθεσις fit contrarijs tranſpoſitis, ut: Inimicis te placabilem, amicis inexorabilem præbes. Labor eſt etiam ipſa uoluptas. Eſſe oportet ut uiuas, non uiuere ut edas. Si Euangelium approbat ciuiles mores, conſequitur, ut hi, qui ciuiles mores improbant, Euangelij autoritatem grauiter lædant.

Inuerſio, cum oſtendimus pro nobis facere argumentum quod contra nos detorquetur, ut: Sepelijſti. Igitur occidiſti. Poteſt inuerti: Imò ſi occidiſſem, non ſepelijſſem. Nam qui in uia publica apud cadauer commoratur dum ſepeliat, ubi credibile eſt homines interuenturos eſſe, hunc non eſſe ſibi malè conſcium, iſta animi ſecuritas declarat. De hoc genere ſuprà dixi, contrarias interpretationes ex cauſsis & ſignis ſumi.

Commu-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0114-8

Haec communicatio ab altera quae est in secundo ordine figurarum longe distat

Communicatio συνοικείωσις. cum idem contrarijs tribuitur, ut pariter in imperio nimia ſeueritas, & nimia lenitas crudelitas eſt: quia nimia lenitas alit audaciam improborum, & licentiam ſæuiendi in bonos concedit.

Correctio ἐπανόρθωσις tollit quod dictum eſt, ſupponens aliud magis idoneum, ut pro Milone: Quas ille leges, ſi modo leges nominandæ ſunt, ac non faces urbis & peſtes Reipublicæ.

Reiectio ἀποδίωξις, cum aliquid reijcimus tanquam indignum, aut intempeſtiuum, ut: Quid attinet hac de re dicere, cum ad præſentem cauſſam nihil faciat? Vtimur ἀποδιώξει, ſi quando praue aliquod argumentum eludimus, quod agitatum redderet cauſſam ſuſpectam. Incurrunt enim & in bonas cauſſas interdum loci duriores, quos non prodeſt agitare. Vsus

Occupatio προκατάληψις eſt, cum reſpondemus tacitè obiectioni, ut uulgò dici ſolet, hoc eſt, cum ipſi animaduertentes, quid obſit nobis, prius id diluimus, quàm obijci poßit. Neceſſaria figura eſt, & ſingularem prudentiam requirit. Videndum eſt enim quæ ſint hominum tacita iudicia, quò propendeant animi, quid offendat, quid probetur. Vtimur igitur occupatione, cum emendamus aliquod dictum, aut mitigamus uel tectè uel palàm. Et locum habet in tota oratione, ſed in exordijs ſæpius utimur, ut pro Archia. Ac ne quis à nobis hoc ita dici miretur, quòd alia quædam in hoc facultas ſit ingenij &c. Reddit enim rationem quare dixerit ſe à Poëta adiutum eſſe, cum Poëtica longißimè diſtet à forenſi oratione. Vsus

Conceſsio, cum quædam largimur aduerſario, ut reliqua magis exaggerari poſsint, ut: Eſto uera ſint dogmata, quæ doces, at quomodo hoc excuſari poteſt, quod mutatis ritibus Eccleſiæ tanti Schiſmatis autor extitiſti? Plus eſt autem in Schiſmate mali, quàm boni in illis dogmatibus. Hîc oſtendendum erit defenſori, quòd illa dogmata neceſſaria ſint Eccleſiæ, & cauſſa Schiſmatis transferenda in hos, qui iniuſtè damnant. Græci uocant προομολογίαν, propemodum confeſsionem.

παραδιαστολή, cum ita aliquid conceditur, ut uicinum quiddam detrahi poſsit, ut: Veritas laborare poteſt, opprimi non poteſt. Fabius contator eſt, negligens non eſt.

Formæ reſpondendi ſunt, cum aut ſimpliciter reſpondetur ad interrogationem, aut tollitur quæſtio, oppoſito argumento firmiore, ut: Difficilis labor eſt exercendi ſtyli, ſed habet plurimas ac maximas utilitates. Habet aliquid incommodi mutatio rituum, ſed plus habent incommodi falſa dogmata, Græci uocant ἀντιπροφορὰν & ἀντισαγωγήν.

EX SIMILIBVS.

Comparatio maximam uim habet in amplificando. Res enim omnes creſcunt aut decreſcunt per collationem. Huc pertinent loci Dialectici ex pari, ex maiore, ex minore, exempla, Apologi, parabolæ, εἰκόνες, ut cum lupum dicunt, pro malo doctore. Vbique ſunt obuia horum locorum exempla, & facilè agnoſci poſſunt. Ac loci ipſi in Dialectica ſatis tractantur, quare hîc nihil opus eſt eos prolixè explicare.

προσω=

προσωποποιΐα, cum perſona fingitur, ut apud Virgilium Fama: aut cum rei inanimatæ ſenſum tribuimus, ut: Vos albani tumuli.

Sermocinatio διαλογισμός, cum orationem perſonæ alicui tribuimus, ut ſi quis fingat Maximilianum in oratione adhortari Carolum Imperatorem ad componenda Eccleſiæ diſsidia.

A GENERE.

Sententia γνώμη continens præceptum de moribus, aut dictum de aliquo uitæ caſu, ut apud Ciceronem: Vultu ſæpe læditur pietas. Item: Poſteriores cogitationes ſapientiores. Ducuntur à genere, ſcilicet à loco communi, à uirtute, à fortuna, à prudentia & ſimilibus. Admonuimus autem ſuprà probationes ex talibus locis ſumi. Nam maior in Syllogiſmo, ſæpiſsimè eſt aliqua communis ſententia. Itaq; ornamenta hinc etiam ſumi neceſſe eſt. Huc pertinent leges, prouerbia, & dicta clarorũ uirorum, quæ uocant κρίσεις, quale eſt dictum Catonis: Radices uirtutum amaras eſſe, fructus dulces.

Epiphonema, eſt amplificatio honeſtatis, ſeu dignitatis, utilitatis, facultatis, difficultatis, in fine addita ad augendam admirationem. Interdum etiam cauſſam facti continet. Magnam omninò uim habet, admonet enim uel quid agatur, uel quanta res agatur, quia transfert eam ad locum communem, quo cum collata præſens cauſſa fit ſplendidior. Nonnulli breuiter dicentes ferè omittunt Epiphonemata, hi non intelligunt, quàm infirma ſit oratio, detracto hoc ornamento. Fiunt autem Epiphonemata per particulas com-

paratiuas & demonſtratiuas, ut: Hoc eſt uerè regem eſſe, conſulere utilitatibus populi. Adeò nihil eſt ſatis tutum aduerſus calumnias. Adeò à teneris conſueſcere multum eſt. Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Quis non in tali aula cupiat uiuere, quæ uerius Academia, quàm aula dici poßit? Et per Exclamationes, unde nomen uidentur initio accepiſſe, ut pro Ligario: O clementiam admirabilem, atq; omniũ laude, prædicatione, literis, monumentíſq; decorandam. Et huiuſmodi multa reperies apud Ciceronem, ut: O rem non modo uiſu fœdam &c.

Noëma differt ab Epiphonemate. Etſi enim eſt alluſio ad ſententiam, aut locum communem, tamen non effert ſententiam generaliter, ſed uerba ſumit ex loco communi, quæ ad præſentem cauſſam accommodat, ut tectè ad locum communem alludere intelligatur, ut: Bene collocaui beneficium, cum in uirum optimum, tum in hominem gratum contuli. Fortiſque uiri tulit arma diſertus. Inſunt latentia quædam Enthymemata. Et profectò danda eſt opera, ut oratio abundet huiuſmodi uerbis ſententia tinctis, ut Fabius ait.

EX CIRCVMSTANtijs & ſignis.

Hinc uerò plurimæ oriuntur amplificationes ex deſcriptionibus locorum, temporum, perſonarum, habitus corporis, & geſtuum. Et alia ſunt ſigna præcedentia, alia conſequentia &c. Talis eſt ex ſigno mira extenuatio apud Liuium, ubi Annibal ait Scipionem adeò non noſſe exercitũ ſuum, ut ſi utriq; exercitui ſigna detrahantur, dubitaturus ſit, utrius Imperator

peratorſit. Non noſſe exercitum, ſignum eſt imperiti Ducis.

Ex circumſtantijs oritur ὑποτύπωσις ubi res ita narratur, ut uideatur quaſi oculis ſubiecta. Id fit, cum diligenter perſequimur circumſtantias. Cicero pro Milone: Si uideretis hæc picta &c. Pingit enim Milonem in Rheda penulatum, cum uxore & paruis liberis, Clodium uerò armatum, ſedentem in equo, pugnantem ex loco ſuperiore &c.

Ex circumſtantijs oriuntur & παθοποιίαι ut exclamationes, deprecationes, uota, ominationes, de quibus in libellis de Copia præcepta extant, quam ob cauſſam nos breuiores ſumus. Et de affectibus ſuprà diximus.

Eſt & figura ad ordinem orationis neceſſaria, quæ nominatur Tranſitio, cum monemus quid dictum ſit, & quid reſtet. Hactenus dixi, quantum inſit turpitudinis in ebrietate. Nunc exponam quantum noceat ualetudini. Breuiter redigit in memoriam, & quid ſuprà dictum ſit, & proponit, quid in reliqua oratione expectandum ſit.

Eſt & παρένθεσις breuis interpoſitio, declarandi cauſſa inſerta, quam non ignorant Grammatici, ut:

Tam Venus ocia amat, finem qui quæris amori,
(Cedit amor rebus) res age, tutus eris.

DE IMITATIONE.

In ipſo ueſtibulo huius operis admonui præcepta inuenta eſſe, non ut eloquentes efficerent, ſed ut uiam ac rationem oſtenderent adoleſcentibus iudicandi de diſertorum orationibus. Nam imitatio, ſi natura non

repugnet, ſicut aliarum rerum artifices, ita & eloquentes efficit. Cognitis igitur præceptis, proponat ſibi quiſq; diſertorum exempla, in quæ toto animo, totáq; mente intueatur, ut ea effingat, atque exprimat. Si quis eſt enim, qui iudicat imitationem, cum in alijs artibus maximam uim habeat, in una eloquentia inutilem eſſe, huius error non ſolum grauißimis Doctorũ teſtimonijs, ſed planè ſenſu communi refellitur. Nam quòd quædam inter diſertos controuerſiæ ſunt de imitatione, diſputatio eſt, non utrum Imitatio neceſſaria ſit, ſed de partibus artis diſſentiunt, quarum uidelicet partium Imitatio neceſſaria ſit. Ego itaque ut oſtendam adoleſcentibus quomodo inſtituere animum ad imitandos bonos autores debeánt, breuiter exponam meam de tota re ſententiam, quam ſpero ſtudioſis iuuenibus non inutilem futuram eſſe. Sæpe autem diximus eloquentiam rebus ac uerbis contineri, rerũ autem inuentionem ac diſpoſitionem eſſe, elocutionẽ ad uerba pertinere. Quare initio ſciendum eſt generalem quandam imitationem rerum eſſe, quam ideo ſic uocamus, quia bonos omnes in inuentione ac diſpoſitione rerum imitari licet. Obſeruabit enim diligens lector, quibus ex locis boni autores ducant Exordia, unde ſumant amplificationes, quomodo tractent locos communes & affectus, quomodo concilient animos, quomodo perturbent, quàm tempeſtiuè ac parcè aſpergant ſententias, quàm diligenter conſeruent decorum, quanto conſilio diſponant partes in cauſſis, ubi præparent auditorem, ubi narrent, ubi diſputent, ubi refutent aduerſarium, quomodo in Epilogis addant motus & affectus orationi. Itaque etſi unus

Cicero maximè excellit etiam in his uirtutibus, tamen alij quoq; non ſolum Latini, ſed & Græci exercere & acuere ſtudioſos poſſunt, ſi locos atq; conſilia eorum in inuenendo ac diſponendo imitentur. Et interdum glorioſum erit res eaſdem ab illis ſumtas, ad noſtras cauſſas aptè transferre. Quemadmodum multa uidemus Ciceronem ab Iſocrate, à Platone, & à Demoſthene ſumſiſſe. Quanquam hoc magis præſtandum eſt, ut diſcamus ſimilia exemplorum gignere, ſicut boni pictores non mutuantur, ſed imitantur formas ac geſtus uiuorum corporum.

Eſt & generalis quædam imitatio elocutionis, quod ad Grammaticum ſermonem attinet, qui non ſolum latina uerba, ſed etiam Phraſin latinam requirit. Cum enim hoc tempore tota nobis Latina lingua ex libris diſcenda ſit, facilè iudicari poteſt in hac parte neceſſariam eſſe imitationem, ut certum ſermonis genus, quod ubiq; & omnibus ætatibus intelligi poßit nobis comparemus. Quis enim intelligit iſtos, qui genuerunt nouum quoddã ſermonis genus, quales ſunt, Thomas, Scotus, & ſimiles? Certa igitur ætas autorum eligenda eſt, qui proprijßimè & purißimè locuti ſunt. Ac ferè fit, ut prudentißimè loquantur etiam, qui dicunt purißimè. Quare ab his nõ tantum ſermo, ſed interim res quoque cognitione dignæ ſumi queunt. Conſtat autem Ciceronis ætate, eloquentiam Romanam perfectam fuiſſe. Proinde totum illud ſeculũ nobis imitandum proponamus, uidelicet Ciceronem, Cæſarem, & paulò ſuperiorem his Terentium, & aliquanto inferiorem Liuium. Plauto etiam nihil facilius eſt. Legendus eſt & Saluſtius. Sed in his cum an

 tiqua

tiqua & obſoleta quædam uerba extent obſeruandum eſt, quid receperit Cicero, quem uelut Ariſtarchum ſcriptorum omnium nobis conſtituamus. Plinius rerum uocabula nobis conſeruauit, etſi genus ſermonis non probatur. Quintilianus uidetur ſtudium proprij ſermonis maximum habuiſſe, nec diſsimulat ſe conatum homines amantes iam corrupti ſermonis, ad ueterem proprietatem reuocare. Ab his igitur autoribus lingua nobis diſcenda eſt, cum his colloquendum. Neq; tantum ſingula uerba à ſæculo illo mutuemur, ſed Phraſin, hoc eſt, iuncta uerba, qualia ſunt: dare damnum, facere damnum, dare uerba, dare in caſum Rempublicam, capio dolorem. Non enim dicimus, cepit me dolor. Et hoc genus infinita. Neq; enim quælibet uoces coniungi ſolent. Conſuetudo igitur Romana in uerbis iungendis imitanda eſt. Nam & Græca & Latina lingua, initio ita corruptæ uidentur, cum exteræ nationes unà cum imperijs eas linguas acciperent, & uerbis quidem bonis uterentur, neque enim alia audierant, ſed in iungendo peccarent. Inuſitatus enim uerborum concurſus, non ſolam confragoſam & obſcuram orationem, ſed prorſus nouam linguam parit. Itaque quod Cæſar dixit: Inuſitatum uerbum non aliter atq; ſcopulum fugiendum eſſe, Idem de uerbis contra conſuetudinem iunctis, præcipi iudicemus. Idem & de Metaphoris ſentiendum eſt, quarum nouitas & ambitioſa eſt, & orationem reddit obſcuram. Et ſuprà diximus, uerecundum uſum huius generis eſſe debere. Nam oratio magna ex parte proprio ſermone conſtare debet. Non igitur diſcedamus à Ciceronis ætate, à qua ſi uerba, Phraſin, & figuras ſumemus,

memus, oratio erit plana, æquabilis, & perſpicua, nihil habebit ambiguum, aut ambitioſè affectatum, quod uitium non ſolum in oratione offendit, ſed etiam prodit ingenij uanitatem. Itaq; de hac generali imitatione Phraſis, rectè iudicant nonnulli bonos omnes imitandos eſſe. Nam ſermonem melius diſcimus, cum pluribus colloquentes, ſi tamen emendatè loquantur. Non enim numero inter bonos, aut illos ineptos antiquitatis amatores, qui horribile quoddam ſermonis genus habent, quod Ciceronis ætate prorſus exoleuerat, aut hos, qui poſt Quintiliani tempora extiterũt, qui iudicio lapſi, ſummam ingenij laudem crediderũt eſſe, nihil ſimpliciter ac propriè efferre, & figuras gignere quàm maximè prodigioſas, quo genere delectati ſunt Apuleius, Sidonius, & alij multi. Iuriſconſultis uerò meritò tribuitur laus proprij ſermonis, quare etiamſi propter rerum cognitionem non legerentur, tamen propter Latinæ linguæ proprietatem legendi erant.

Sed præter hanc generalem imitationem inuentionis, diſpoſitionis, uerborum, Phraſis, & Figurarum, ſpecialis quædam eſt imitatio Ciceronianæ compoſitionis, de qua inter Doctos quædam controuerſia eſt. Vtrum operæ precium ſit in ea imitanda elaborare. Eſt enim peculiaris quædam collocatio membrorum orationis apud Ciceronem, quæ non ſolum æquabiliorem reddit orationem, ſed plurimum etiam ad perſpicuitatem conducere uidetur. Atque ego ita ſtatuo, illam ipſam componendi rationem, ut cæteras artes, initio propter neceßitatem, aut certè inſignem utilitatem deſideratam atq; animaduerſam eſſe. Poſtea deprehen-

prehenſa uia, ſecuta eſt utilitatem uoluptas. Multa enim non ferenda uitia deprehenduntur in his, qui in compoſita dicunt. Primum coaceruant ſententias male cohærentes, & in his ipſis ſæpè Grammaticum uocum ordinem perturbant Hyperbatis. Huius rei exemplum eſt uidere in Exordio Plinianæ præfationis, cuius membra, in mea Paraphraſi partim exemi, partim ordine diſpoſui, ut principalis ſententia clarius conſpici atque intelligi poſſet. Apud Saluſtium in orationibus, extant grauiſſimæ ſententiæ, de cauſſis maximarum mutationum publicarum, & hæ uerbis efferuntur optimis, & tamen oratio non ſatis dilucida eſt. Neque uerò defuit homini perito, & uerſato in Republica iudicium, aut patrius ſermo, ſed compoſitio deeſt. Quare cum ſententiæ quaſi truncatæ atque interruptæ recitentur, fit oratio ſubobſcura. Deinde crebrò accidit, ut hi qui dicunt incompoſita, relinquant imperfecta & mutila argumenta. Alicubi antecedens reperias ſine conſequente, utar enim Dialecticis appellationibus, quæ ſunt notæ omnibus. Hoc in Pliniana præfatione fit aliquoties, nam ibi antecedens eſt: Quàm plurimum intereſt, ſortiatur aliquis iudicem an eligat, multúmq; apparatus intereſt apud inuitatum hoſpitem & oblatum. Deinde relinquitur imperfectum argumentum, quare intelligi niſi ab attento lectore non poteſt. Erant enim addendæ concluſiones in hanc ſententiam. Cum inuitatus hoſpes maiorem apparatum requirat, quàm caſu oblatus, ego iure reprehendi queam, quòd cum te ad hos libros legendos ultro inuitaui, non præſtiti ut tuo iudicio ſatisfacerent. Sed plus negocij fuerit alteram ſimilitudinem abſol

nem abſoluere. Quid? quòd idem autor non ſolum argumenta relinquit imperfecta, ſed etiam in Grammatica conſtructione quædam relinquit ἀνανταπόδοτα, quod uitioſißimum eſt. Sunt & alia incompoſitæ orationis incommoda, ſed ego illa recitare uolui, quæ adoleſcentes iudicare facilè poſſent. Multum igitur ad rerum perſpicuitatem diligentia componendi confert. Quanquam autem in tanta uarietate ingeniorum, alium natura ad aliud dicendi genus ducat, & his noſtris temporibus perfecta eloquentia ſperari non poßit: tamen generalia quædam præcepta tra demus, non tantum his, qui ſolam Ciceronis compoſitionem imitaturi ſunt profutura, ſed ut mihi quidem uidetur neceſſaria, quocunque in genere dicendi uerſemur. Quæ tamen ſi quis obſeruauerit, facilius intelliget Ciceronis compoſitionem, quæ cum longè ſit optima, præclarè facere iudicandi ſunt, qui ſumma cura, ſummóq; ſtudio effingere eam conantur. Etſi enim ea in re ipſe non elaboraui, nemo enim monebat aut norat iſta, me adoleſcente, & poſtea meo quodam fato incidi in quædam negocia, quæ ad hæc ſtudia colenda, non tantum mihi quantum uellẽ temporis concedunt, tamen ad officium meum pertinere exiſtimo, ut quæ ſunt optima pro uirili demonſtrem. Nam Politianus parum liberaliter facit, qui uidetur ideo deterrere alios ab imitatione Ciceronis, quia cum ſe natura ad aliud dicendi genus deduci intelligeret, iudicio uideri uoluit, id quod ipſe conſecutus non eſſet, improbare. Ego uerò ita ſtatuo, artificium faciendæ orationis non ualde dißimile eſſe Poëticæ. Vt autem ſtultißimum fuerit ei, quem uelis Elegiam ſcribere,

Cos minimè acuta reddit cultros alios

Horatij

Horatij odas aut Satyras potius proponere, quàm Ouidium aut Tibullum, ita imprudenter iudicare arbitror iſtos, qui in facienda oratione nihil intereſſe putant, quos autores ſequantur. Nam ut illi Elegiæ ſtudioſo, plurimum legendi erunt Elegiaci Poëtæ, et quidem præſtantiſsimi, & elaborandum erit, ut aliquam illorum ſimilitudinem conſequatur, ita in ſoluta oratione legenda erunt optima exempla, & efficiendum, ut horum quaſi colorem ducat oratio. Quãquam autem multi propter imbecillitatem ingeniorum, & naturæ diſsimilitudinem in imitatione Ciceronis ſucceſſus parum ſecundos habeant, tamen illi ipſi longè plus proficient in Cicerone legẽdo, quàm ſi deteriora exempla ſequerentur. Quamuis enim iſti aridi non poterunt effingere diuinam illam compoſitionem, quam etiam Romanis temporibus nemo æqualium Ciceronis, qui quotidie dicentem audiebant exprimere potuit, tamen hoc aſſequentur, ut oratio ſit æquabilior & uberior. Et ſunt aliæ uirtutes infinitæ Ciceronis, quarum uel umbram referre non exigua laus erit, atque ego uel obſcura lineamenta Ciceronis malim, quàm natiuam Politiani aut Gellij faciẽ. Cur autem prudens præceptor nactus ingenium fœcundum & copioſum, non hortetur, non incitet, ut complecti Ciceronem & in eum tota mente, totóq; animo intueri, & ad ipſius exemplum, totum ſe componere ſtudeat, ut quantum ingenio, induſtriáque conſequi poterit, non tantum ab eo uerba ac Phraſin ſumat, ſed etiam effingat compoſitionem. Qua in re ſucceſſus non eſt deſperandus his, qui mediocriter à natura adiuuantur. Neq; ego ab alijs bonis autoribus hunc imi-

tatorem arcendum puto, nam ab his quoq; adiuuabitur, uerum ut à Poëtis Orator, aut à pictoribus ſtatuarius. Quanquam enim ſtatuarius, multum ab arte uicina ad ſuum uſum transferre poterit, tamen ita erit intentus in artis ſuæ exemplum atq; Idæam, ut obſeruet, quæ cum illa Idæa cõſentiant, ne procul ab ea diſcedat. Neque uerò is imitari Ciceronem dicendus eſt, qui excerptas ex illo ſententias ac uerſus, quaſi Centones conſuit, quemadmodum facere nonnullos uidemus. Sed ἕξιν ſibi quiſq; faciat, ut ultro ſe Ciceronis uerba offerant, quæ cum ita coniungimus, ut res noſtras explicent, tamen collocatio & ſeries partium debet habere quandam Ciceronis ſimilitudinem. Cæterum ut Virgilius ab Homero multos uerſus ſumſit, ita decebit & nos interdum aliquod membrum aliunde mutuari, ſi tamen habeatur ratio decori. Seruiendum eſt enim temporibus ac locis, quemadmodum Virgilius, etſi ad imaginem Homeri ſe totum compoſuit, tamen illa prudenter uitauit, quæ Romanis moribus non congruebant. Ac ne uerba quidem repudiabit imitator, quamuis ignota Ciceroni, quæ cauſſa poſtulat, ut in controuerſijs Theologicis utendum eſt appellationibus Chriſti, Eccleſiæ, Fidei pro fiducia, & alijs ſimilibus. Quia enim res illas à ſacris literis mutuamur, ſermonem illarum eò nos ſequi oportet, ne res diſſentientes à ſcripturis afferre uideamur. Quare meritò ridentur inepti quidam, qui pro Fide perſuaſionem, pro Euangelio cœleſtem Philoſophiam, & alia ſimilia dicunt, in quibus ſæpe fit, ut germanam ſignificationem illarum uocum quas aſpernantur non reddant. Id non eſt illuſtrare res difficiles dicendo,

ſed ob-

ſed obſcurare atq; corrumpere. Quid quòd iſti ſomniant imitationem, non in Phraſi & collocatione, ſed in ſingulis uerbis eſſe? qua in re pueriliter errăt. Nam Cicero etiamſi interdum uerbis utebatur ignotis Populo Romano, multa enim à Philoſophis, & ex Græcis hiſtorijs ſumit, tamen Ciceroniano more dicebat. Collocatio enim & uniuerſum corpus orationis Ciceronem referebat.

Cum igitur eloquentiæ ſtudioſi præcipuè in hac parte elaborare debeant, ut Ciceronem imitentur atque effingat, præcepta quædam adſcribemus, ut intelligere compoſitionem ſtudioſi facilius poßint. Legent enim Ciceronem libentius, & propius exprimment, ſi uirtutes intelligent. Et quoniam de imitatione locorum inuentionis, de ſimilitudine diſpoſitionis, item uerborum & Phraſis diximus, reliquum eſt, ut uiam quandam componendi oſtendamus.

Primum in compoſitione præceptum eſt, ut ſit iuſtus ordo ſententiarum, quem quidem in narratione ſeu expoſitione facti ſeruare facilè eſt. Verum in Exordijs & in probationibus ſeruare difficilius eſt. Primum autem poni ſolet aliqua propoſitio ſuæ cuiuſq; partis in oratione: deinde ſubijcitur ratio: poſtea ſequitur rationis expoſitio, aut amplificatio: interdum ſequitur ſimile aut dißimile, aut aduerſatiua, quæ quaſi nouæ orationis initium eſt. Et in his partibus perpetuò uerſatur Ciceronis oratio. Alij coaceruant ſententias longius inter ſe diſtantes, & pleraſq; relinquunt quaſi truncatas, & nonnunquam admiſcent alienas. At Cicero aptè complectitur omnia, quæ ad rem pertinent, eáque ita connectit, ut inter ſe membra pro-

ximè

ximè cohæreant, uelut Dialecticæ probationes. Et dum inter hæc ſepta cohercet orationem, nihil intempeſtiuè intertexit alienum, & inchoatas ſententias abſoluit & exædificat. Exemplum ſumemus ex oratione notiſsima pro Archia, ubi prima Exordij propoſitio eſt. Debeo Archiæ reddere gratiam ex hac facultate dicendi. Hæc eſt enim ſumma propoſitionis, quam ueſtiuit Cicero quibuſdam ornamentis, ut ſonus eſſet plenior. Sequitur ratio, quia Archias adiuuit hæc mea ſtudia eloquentiæ. Deinde ſequitur concluſio argumenti per comparationem. Ergo ſi alijs eloquentia mea opem tulit, maximè debet iſti opem ferre, à quo adiuta eſt. Poſtea ſequitur aduerſatiua, continens nouum locum, nouam propoſitionem. Non eſt alienum Oratorem à Poëta adiuuari. Ratio, quia omnes artes inter ſe cognatæ ſunt, quare alia adiuuat aliam. Poſtremò ſequitur alia aduerſatiua. Quanquam autem hic ordo ſententiarum magis ad inuentionem aut diſpoſitionem, quàm compoſitionem pertinere uidetur, quæ eſt in quadam concinna collocatione uerborum, tamen ſi quis rectè conſiderabit, intelliget uniuerſæ compoſitionis fundamentum eſſe, iuſtum ſententiarum ordinem. Nam abſq; eo nullæ periodi cohærebunt, quòd in componendo præcipuè fieri oportet. Plurimum autem prodeſt ad intelligendum Ciceronem, hoc modo diſtribuere ſententias, & uidere unde naſcantur, & quomodo conſentiant. Quod ſi quis animaduerterit, ſcribet & ipſe melius cohærentia.

Proximum autem præceptum eſt, ut ſententiæ illæ in magna parte orationis illigentur periodis. Quid

aũt ſint Periodi, q̃d κῶλα, quid κόμματα, tradũt Grãmatici. κῶλον enim eſt unica integra ſententia, ut: Quæ homines arãt, nauigant, ædificãt, omnia uirtuti parent. κόμμα pars eſt coli, ut nauigant, ædificant. Periodus aũt conſtat, ut minimũ ex duob. colis.

Dicitur autem Periodus, ſeu Latinè circuitus aut circunductio, quia colligit plures ſententias, particulis rationalibus, cauſalibus, relatiuis, comparatiuis, aduerſatiuis, interdum etiam copulatiuis. Exempla ſunt ubique obuia apud Ciceronem. Quanquam mihi ſemper frequens conſpectus ueſter multò iucundißimus, hic autem locus ad agendum amplißimus, ad dicendum ornatißimus eſt uiſus, Quirites, tamen hoc aditu laudis, qui ſemper optimo cuique maximè patuit, non mea me uoluntas, ſed meæ uitæ rationes, ab ineunte ætate ſuſceptæ prohibuerunt. Turpe eſt Stoicis ignorare Zenonis decreta, quanto turpius & indignius eſt Chriſti decreta neſcire Chriſtianos? Pro Archia. Etiam illud adiungo, ſæpius ad laudem atque uirtutem, naturam ſine doctrina, quàm ſine natura ualuiſſe doctrinam. Pro Marcello. Tantus eſt enim ſplendor in laude uera, tanta in magnitudine animi et conſilij dignitas, ut hæc à uirtute donata, cætera à fortuna commodata eſſe uideantur. Hæc exempla recito, ut adoleſcentes diſcant, non illas tantum Periodos dici, quæ inchoantur à circunductionibus, ſed etiam per aduerſatiuas, per cõparationes aptè cõnecti plura κῶλα. Eſt & ſimplicius quoddã genus, q̃d Demetrius uocat Hiſtoricũ, quale eſt hoc, Inferimus bellum, infeſtiſq; ſignis deſcendimus in Italiã, tanto audacius fortiuſq; pugnaturi, quanto maior ſpes, maiórque

que animus inferentis eſt uim, quàm arcentis. Initium non habet particulã circunducentem, ideoq; ſimplicior eſſe forma uidetur. Huius generis ſunt & hæc: Suſcepit iniunctam legationem, ut Principi, quemadmodũ debere ſe iudicabat, morem gereret. Alia forma quæ initio habet circunductiones, uidetur eſſe uolubilior, & ut inquit Demetrius, efferri ore rotundo & circumacta manu. Has tamen formas propoſui, ut uarietatem Periodorum ſtudioſi facilius agnoſceret.

Ordo ſententiarũ de quo paulo antè dixi, res perſpicuas reddit. At Periodi forma prodeſt ad connectendas ſententias, & addit pleniorem ſonum orationi. Danda igitur erit opera imitatori, ut in Periodis faciendis Ciceronis exempla effingat. Neq; tamen conſtat oratio tota Periodis. Sunt enim interdum ſingula cola, uelut interualla, inter Periodos ponenda. Et Exordia ac Syllogiſmi magis recipiũt Periodos quàm Narrationes, quæ magna ex parte habent cola. Contentiones uerò ac diſputationes rariſsimas habent Periodos. Conſtant enim breuibus quibuſdam membris quaſi aculeis. In Narrationibus facilè eſt agnoſcere ſeiuncta κῶλα, ut: Milo domum uenit; calceos & ueſtimenta mutauit; pauliſper dum ſe uxor, ut fit, comparat, commoratus eſt; obuiam fit ei Clodius expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus. Pro Cluentio. Frater mortuus eſt, hæredémq; Magiam reliquit, Poſtea Magia mortua eſt. In talibus ſi quis κῶλα cõnecteret, rerum ſeriem corrũperet. In Contentionibus, ut pro Ligario. Quid enim Tubero tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat, cuius latus ille mucro petebat, qui ſen

ſus erat armorum tuorum, quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi, quid cupiebas, quid optabas? Plenæ ſunt diſputationes in Philoſophicis libris, breuibus mẽbris, ut: Minimè mirũ id quidem, nam efficit hoc Philoſophia, medetur animis, inanes ſolicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Nondum abſoluimus præcepta cõpoſitionis. Nam quæ hactenus tradidimus, etſi à Cicerone fiunt accuratiſsimè, tamẽ & alij boni ſcriptores reperiuntur, qui non omnino negligentes ſunt in ordine ſententiarum & qui aliquo modo Periodos faciunt. Verum ad hæc addit Cicero duas res, quæ ſunt ipſius maximè propriæ, ſcilicet, quòd uerbis ornat ſingula membra, penè ut fit in Poëmatis. Et quia hæc ornamenta Periodũ explent, efficiunt concinnum & numeroſum quiddam. At ſtultum eſt nunc de numeris præcipere, cum ſonus linguæ Latinæ hoc tempore non ſit natiuus. Illud tantũ hortabor, in quo copiæ laus eſt, ut ornare ſententias uerbis imitator diſcat. Quod cum faciet, oratio erit uberior ac mollior. Periodum ſponte ſequuntur numeri. Pro Archia poterat Cicero ſimpliciter dicere: Debeo Archiæ reddere gratiam ex hac facultate dicendi. Sed uide quomodo ornauerit, extenuat uires ſuas: Si quid eſt ingenij quod ſentio, quàm ſit exiguũ &c. Deinde partitur facultatem in tria membra, in Ingenium, Exercitationem, & Doctrinam: nam his tribus rebus artes cõtinentur. Illud ſciet etiã imitator, quòd modus in ornando obſeruandus ſit. Nihil enim odioſius eſt inani oſtentatione ornatus, qui nunquam debet uideri ocioſè accerſitus, ſed ad illuſtrandam cauſſam, neceſſariò adhibitus eſſe.

Hæc

Hæc ſi ſtudioſi in lectione Ciceronis obſeruabũt, meo quidem iudicio rectius intelligent autorem optimum, & uirtutes omnes propius aſpicient. Neq; uerò hæc utilitas exigua iudicanda eſt, etiam ſi nõ procedat imitatio. Et tamen ſi conniti uolent iſti, qui adiuuantur à natura, intellectas uirtutes, aliqua ex parte effingere poterunt. Quòd ſi hæc diligentia componendi nihil niſi puerilem oſtentationem ingenij haberet, non eſſet cur huius partis imitationem ualde requirendam putarem. Sed cum maximas afferat utilitates, digna mihi res uidetur, in qua ſi qui non deſtituuntur ingenij uiribus, elaborent. Fit enim oratio magis dilucida, ſi aptè cohæreant ſententiæ, ſi non relinquantur imperfecta membra, aut argumenta, ſi extent atque emineant illæ partes, quas præcipuè conſpici prodeſt, ſi quis ornatus quaſi ueſtitus acceſſerit, ſi mediocria ſint Periodorum ſpacia, ſi non ſint diſſipatæ Periodi Hyperbatis. Veriſſimum enim illud eſt, quod ſcribit Cicero, ueram ſpeciem ac pulcritudinem cum utilitate coniunctam eſſe, cuius rei tum in natura, tum in artium operibus, maximéq; in ædificijs infinita exempla oſtendi poſſunt.

Nam illa in ædificijs apta partium proportio nõ minus habet utilitatis, quàm decoris. Quare exiſtimandum eſt & hanc harmoniam collocationis in oratione, non ſolum propter uenuſtatem, ſed etiã propter certam utilitatem animaduerſam eſſe. Idq; ex eo intelligi poteſt, quòd uidemus homines prudẽtes, ſed rudes harum noſtrarum artium, ſumma diligentia componere & ſtruere orationem, qui id faciendum

putant, non uoluptatis, ſed neceßitatis cauſſa, uidelicet, nequid confuſè, nequid obſcurè, nequid intempeſtiuè, aut alieno loco dicant, nequa relinquant mutila & pendentia membra. Deniq; non ſolum perſpicuitatis, ſed etiam dignitatis rationem habendam eſſe in ſcribendo ſentiunt.

Atq; hi partim uſu cognouerunt, partim ſine doctrina ui ingenij perſpiciunt, in magnis & grauibus caußis, orationem perſpicuam, & in qua aliquid dignitatis ſit, requiri. Quod cum ita ſit, cúnque natura ducat homines prudentes ad componendam orationem, decet eruditos perfectum aliquod exemplum collocationis quærere, ad quod ſe in faciēda oratione referant. Turpe eſt enim eruditis, neq; uim huius rei intelligere, neq; rationem requirere, cum harum artium rudes perſpiciant, & quanta uis ſit compoſitionis, et iudicent res magnas ſine hac diligentia explicari nō poſſe. Mira autem ingenij fiducia eſt, in hac parte lōgè difficilima, repudiare exempla, atq; aſpernari imitationem, cū in alijs leuioribus artibus, homines ſine exemplis atq; imitatione parum proficiant. Et uulgo ita dici ſolet: Sibi quenq; peßimum eſſe magiſtrum, quod non ſolum in artibus, ſed in moribus, & in omni uita cernimus. Cum igitur hæc ars ſine exemplo atq; imitatione perfici non poßit, & inter peritos cōſtet perfectißimam eſſe Ciceronis compoſitionem, præclarè facere iudicandi ſunt, qui hunc autorem ſibi proponunt, ut cum alias eius uirtutes, tum etiam collocationem effingant.

Cum enim omnino aliqua collocandi atq; ornandi ratio neceſſaria ſit, id quod experiuntur in magnis

caußis

cauſsis etiam illiterati, prudentia eſt exemplum eligere optimum. Nam & Cicero propterea uidetur melius compoſuiſſe quàm cæteri, quia excellentes artifices imitatus eſt. Secutus eſt enim exemplum Iſocratis cum alij contenti uulgari quadam forma orationis, nihil melius quærerent, aut perfectius. Neq; ab hac ſententia eò deducor, quòd magni extiterint Oratores, qui non compoſuerũt more Ciceronis. Neq; enim ſimilis eſt Lyſiæ compoſitio Ciceronianæ. Ego uerò non ignoro diſsimiles eſſe in componendo magnos autores. Ac ne Cicero quidem eodem modo componit omnia. Verum hoc habent commune excellentes artifices omnes, quòd ſententias ordine diſtribuunt, etiamſi Periodos non eodẽ modo faciunt. Deinde quòd aliqua membra uerbis illuminant. Et hac in re præcipuè excellunt hi, qui uocantur Attici, quòd efficiũt ut aptè cohæreant ſententiæ, etiamſi Periodis non deuinciunt. Nam ex bonis & præſtantibus autoribus, nemo tam ignauus fuit, ut ſine omni cura collationis orationem congereret. Ac Cicero etiam cum non admodum accuratè texit Periodos, eſt enim liberior oratio in Epiſtolis & Philoſophicis libris, tamen hoc nomine ſuperat alios, qui nullam adhibuerunt in componendo curam, quòd cauet, ne concurrant ſententiæ longius diſtantes, aut malè cohærẽtes, aut nequid relinquatur imperfectum. Hæc nõ cauent Saluſtius, Seneca, Plinius, & alij recentiores. Quare etiamſi nõ omnes compoſitionis partes effingemus, tamen illum ſententiarum ordinem atq; abſolutionem magis poterimus in Cicerone, quàm in alijs cernere. Ac ſi quem omnino delectant incompoſita, nullius oratio apud

Compoſitio

Latinos æquabilior eſt quàm Ciceronis, etiam cum ſe eximit ex illis uinculis artis, de quibus ipſe in perfecto Oratore præcipit. Rectius igitur hunc imitabimur quàm alios, aut triſtes, horridos, conciſos, aut ſupinos & longius iuſtò fluentes, & plenos Hyperbatis, & qui temerè ſententias congerunt. Nos adoleſcentuli incidimus in Politianum & poſteriorem Plinii, quorum nos inuitabant ſubtiles argutæq; ſententiolæ, quibus abundat uterq;, delectabant in his & alij quidam floſculi, habent enim dicta quædam bellè detorta. Sed argutiæ illæ ſententiarum & bellè dicta mirum in modum amantur à iuuenibus & imperitis, & placent in Scola ludentibus: ſed in ſerijs negocijs nihil eſt ineptius atq; inanius illis affectatis argutijs. Quid autem aſſecuti ſumus horum lectione? Primum aridiores facti ſumus, cum natura parum uberes eſſemus: deinde illas inanes argutiolas, quas præcipuè au ferebamus, poſtea intelleximus nobis abijciendas ac dediſcendas eſſe. Quantò melius conſuluiſſent nobis præceptores, ſi & ad Ciceronis lectionem diſcipulos aſſuefeciſſent, & docuiſſent, non ſolum uerba ex Cicerone excerpere, ſed etiam Phraſin imitari, & totam orationis formam, hoc eſt, ſententiarum ordinē atq; ornamenta effingere. Ego itaq; non tantum in Scola, ſed magis uſu rerum doctus, comperi nullius generis imitationem plus conducere his, quibus res ſeriæ & magnæ tractandæ ſunt, quàm orationis Ciceronianæ. Et inſtruxit artifices cuiuslibet generis Cicero, Quia nō ſolum orationes & epiſtolas reliquit, ſed etiam diſputationes. Nec difficile erit intelligere lectori non ſtulto, ſi in hæc exempla intuebitur, quid

in

in quolibet genere deceat, qualis oratio cõueniat Epiſtolis, quas ſæpe de maximis rebus et ad ſummos Principes ſcribimus, qualis oratio in narrationibus, laudationibus, in uituperationibus, qualis in diſputationibus probetur. Quare ſtudioſi omnes adhortandi ſunt, ut quàm plurimũ legant Ciceronem, & ab eo primũ uerba ac Phraſin mutuentur. Deinde conſilia eius in inueniendo ac diſponendo conſiderent. Poſtremò totam orationis formam, hoc eſt, ſententiarum ordinẽ, exornationum copiam, atq; modũ quantum ingenio ac ſtudio conſequi poterunt, imitari conentur. Vt enim Elegiacus ille, de quo ſuprà dixi, ſine controuerſia melior euadet ex Ouidij lectione, quàm ſi legat Odas Horatij: & Heroicus ſcribet fœlicius, ſi ſequetur Virgilij proprietatem, & in ordinandis atq; abſoluendis membris Oeconomiam, quàm ſi Lucanũ aut Statium, qui ſunt improprij, inflati, & obſcuri, imitetur. Ita dubitari non debet, quin ille noſter imitator, ex lectione Ciceronis melior quàm ex alijs autoribus futurus ſit. Cum enim in Poëtica maximã uim eſſe imitationis appareat, dubitari non debet, quin et in hac uicina arte plurimum polleat. Tanta eſt enim inter has cognatas artes ſimilitudo, ut pleriq; illuſtriores loci Ciceronis ac Liuij, ſi rectè exiſtimemus, poëmata iure dici poßint.

DE TRIBVS GENERIbus dicendi.

Plurimum etiam conducit ad iudicandum, agnoſcere diuerſa genera dicendi. Nam ingeniorum dißimilitudo, diuerſas formas, ſeu ut Græci nominant,

χαρακτῆρας operum, non ſolum in hac arte, ſed in pleriſq; alijs peperit. Et tamen certi quaſi gradus animaduerſi ſunt, intra quos hæ formæ conſiſtunt, uidelicet humile genus, & illi oppoſitū grande. Tertium eſt mediocre, quod primo genere plenius eſt, & tamen aliquantulum à ſummo abeſt. In picturis facilè deprehendi hæ differētiæ poſſunt. Durerus enim pingebat omnia grandiora, & frequentißimis lineis uariata. Lucæ picturæ graciles ſunt, quæ etſi blandæ ſunt, tamen quantum diſtent à Dureri operibus, collatio oſtendit. Matthias quaſi mediocritatem ſeruabat. Miſcentur autem hæc genera inter ſe, ſicut Muſici tonos miſcent. Nam & illi qui ſunt tenuiores, interdum aliquid efficiunt plenius. Et in eodem opere, alij loci grandes ſunt, alij exiles, iuxta rerum uarietatem, de quibus dicitur.

Humile genus non aſſurgit ſupra quotidianam loquendi conſuetudinem, proprietatem ſermonis mira ſolicitudine cuſtodit, et ſtudet ſignatè res efferre uerbis quàm maximè proprijs. Non amat crebras figuras, libenter utitur Metaphoris, ſed nō procul accerſitis, uerū ſumtis ex quotidiano ſermone. Nihil admodum amplificat, ſed tota orationis ſpecies uerecunda eſt, & ad dißimulationem compoſita, & quaſi de induſtria fugitans ornatum. De re prudenter & ordinè diſputat, nec ferè à propoſito diſcedit, & ipſa ſimplicitatis ſpecie inſidiatur auditori. Circunductiones habet paucißimas, refert enim quotidiani ſermonis negligentiam in collocatione uerborum. Artifex huius generis Terētius eſt apud nos. Hic caracter eſt orationis & in Eraſmi colloquijs. Et Cicero in Philoſophicis

cis diſputationibus et præceptis, ferè ſequitur hoc genus. Eſt enim ad docendum maximè accõmodatum. Scriptores uocant Atticum, etſi Cicero contendit Atticos etiam grandiores eſſe quàm ſit oratio in Comœdijs. Neq; id diſsimulari poteſt. Nam Demoſthenes et AEſchines ſunt grandiores. Et apud nos Cæſar ſublimior eſt, qui quidem uerè Atticus iudicandus eſt. Etſi autem interdum pleniore ſono utuntur Attici, tamẽ hæc prima forma horum propria fuit, quia proprijſſime loquebantur, & uerecundiores erant in ornando reliquis gentibus, & quidquid erat ineptum & intempeſtiuum ſumma diligentia uitabant. Vitioſi ſunt in primo genere breues quidam ac ieiuni, horridi et obſcuri, qualis eſt in orationibus alicubi Saluſtius.

Grande genus, etſi magna ex parte proprio ſermone conſtare debet, tamen Metaphoras habet crebriores, ac longius petitas, copioſè amplificat adhibitis omnibus figuris, & quaſi de induſtria oſtentat ornatum. Hoc genus magna cum laude ſecutus eſt Liuius. Et Cicero utitur eo in pleriſque orationibus, ut in Verrinis, & in Catilinam, in Piſonem, pro Milone. Et quidem addit accuratam compoſitionem, quæ maximè in hoc genere requiritur. Neque uerò ubique uſus eſt hac forma Cicero, ſed grauioribus cauſſis addit ſonum maiorem. In alijs leuioribus negocijs medium adhibet genus, interdum in docendo contentus eſt humili genere. Facilè autem agnoſci grande genus poteſt. Vtitur enim uerbis atrocibus ac tragicis, terribiles geſtus pingit, ut apud Virgilium mors Didonis deſcribitur. Vitioſi ſunt in hoc genere, tumidi & inflati, qui nimis grandes uideri cupiunt, qui nihil

propriè efferunt, ſed perpetuas habent Periphraſes, & prodigioſas Metaphoras. Hi uocabantur olim Aſiatici. Nam in Aſia cum ſermonis genus haberent corruptum & improprium, tamen affectabant eloquentiæ laudem oſtentatione immodici ornatus. Ab hoc genere ſemper in primis abhorruerunt ſana ingenia. Medium genus uix à grandi diſcerni poteſt. Non enim multum ab illo diſtat, copioſum eſt, & abundat figuris, ſed in amplificando aliquantulum reſiſtit infra grande genus. Ouidius ferè talis eſt. Et pleræque Ciceronis Epiſtolæ & orationes, quidam etiam libri Philoſophici ad hanc formam pertinent, Pertinent ad eam & Eraſmi pleræq; declamationes. Maximè uerò prodeſt cognoſcere duo extrema genera in imitando, ut uirtutes diſsimilium autorum, quos legimus, melius perſpiciamus, & ut unuſquiſque obſeruet ad quod genus natura magis appoſitus uideatur, ut aridi uberiora ſcripta legentes, adijciant aliquid uiribus ſuis, tumidi uerò ac ſupini moderentur naturam, & aſſueſaciant ſe ad proprietatem lectione iſtorum, qui Attici uocantur, quorum maximè propria eſt oratio.

EPISTO-

EPISTOLA SENE- CAE DE RATIONE AT- que ordine ſtudij.

Itinera iſta, quæ ſegniciem mihi ex
cutiunt, & ualetudini meæ prodeſ-
ſe iudico & ſtudijs. Quare ualetu-
dinem adiuuent, uides, cum pigrum
me & negligentem corporis, litera
rũ amor faciat, aliena opera exer-
ceo. Studio quare proſint indicabo. A lectionibus re-
ceßi. Sunt autem (ut exiſtimo) neceſſariæ. Primum ne
ſim me uno contentus: deinde ut cum ab alijs quæſita
cognouero, tũ & de inuentis iudicem, et cogitem de
inueniendis. Alit lectio ingeniũ, & ſtudio fatigatũ,
nõ ſine ſtudio tamẽ reficit, nec ſcribere tantũ, nec tan
tum legere debemus. Altera res cõtriſtabit uires, &
exhauriet, de ſtylo dico. Altera ſoluet ac diluet. Inui
cem huc & illò commeandũ eſt, & alterum altero tẽ
perandum, ut quicquid lectione collectũ eſt, ſtylus re
digat in corpus. Apes (ut aiũt) debemus imitari, quæ
uagantur & flores ad mel faciendũ idoneos carpunt.
Deinde quicquid attulere, diſponunt, ac per fauos di
gerũt, et (ut Virgilius noſter ait) liquentia mella ſti-
pant, et dulci diſtendũt nectare cellas. De illis nõ ſatis
conſtat, utrum ſuccũ ex floribus ducãt, qui protinus
mel ſit, an quæ collegerũt in hunc ſaporem, mixtura
quadã & proprietate ſpiritus ſui mutent. Quibuſdã
enim placet, nõ faciendi mellis ſcientiã eſſe illis, ſed col
ligendi. Aiũt inueniri apud Indos mel in arundinũ fo
lijs, quod aut ros illius cœli aut ipſius arundinis hu-
mor,

mor, dulcis & pinguior gignit. In noſtris quoq; herbis uim eandem, ſed minus manifeſtam & notabilem poni, quàm perſequatur & contrahat animal huic rei genitum. Quidam exiſtimant conditura & diſpoſitione in hanc qualitatem uerti, quæ ex tenerrimis uirentium, florentiúmq; decerpſerint nõ ſine quodam (ut ita dicam) fermento, quo in unum diuerſa coaleſcunt. Sed ne ad aliud, quàm de quo agitur adducar, nos quoq; has apes debemus imitari, & quæcunque ex diuerſa lectione congeßimus, ſeparare, melius enim diſtincta ſeruantur. Deinde adhibita ingenij noſtri cura & facultate, in unum ſaporem uaria illa libamenta confundere, ut etiamſi apparuerit unde ſumtum ſit, aliud tamen eſſe quàm unde ſumtũ eſt appareat, quod in corpore noſtro uidemus, ſine ulla opera noſtra facere naturã. Alimenta, quæ accepimus quãdiu in ſua qualitate perdurãt, & ſolida innatant, ſtomacho onera ſunt: At cum ex eo quod erant, mutata ſunt, tunc demum in uires & in ſanguinem tranſeũt. Idem in his, quibus alũtur ingenia præſtemus, ut quæcunq; hauſimus, non patiamur integra eſſe, ne aliena ſint, ſed cõcoquamus illa, alioquin in memoriam ibũt, non in ingenium. Aſſentiamur illis fideliter, & noſtra faciamus, ut unum quoddam fiat ex multis, ſicut unus numerus fit ex ſingulis, cum minores ſummas & dißidentes computatio una comprehendit, hoc faciat animus noſter. Omnia quibus eſt adiutus abſcõdat, ipſum tantum oſtendat, quod efficit, etiamſi alicuius in te comparebit ſimilitudo, quem admiratio tibi altius fixerit, ſimilem eſſe te uolo quomodo filium, non quomodo imaginem. Imago res mortua eſt. Quid ergo?

non

non intelligetur cuius imiteris orationem? cuius argumentationem? cuius ſententias? puto aliquando ne intelligi quidem poſſe, nec enim omnibus quæ ex aliquo magno uiro, ex quo uelut exemplaria traxit, formam ſuam impreßit, ut unitatem cum illa petant. Nõ uides quàm multorum uocibus chorus cõſtet? unus tamen ex omnibus redditur, aliqua illic acuta eſt, aliqua grauis, aliqua media, accedunt uiris fœminæ, interponuntur tibiæ, ſingulorum illic latent uoces, omnium apparẽt. De choro dico, quem ueteres Philoſophi nouerant. In comeſſationibus noſtris plus cantorum eſt, quàm in theatris olim ſpectatorum fuit, cum omneis uias ordo canentium impleuit, & cauea uenatoribus cincta eſt, & ex pulpito omne tibiarum genus organorúmq; conſonuit, fit concentus ex diſſonis. Talem animum eſſe noſtrum uolo, ut multæ in illo artes, multa præcepta ſint, multarum ætatum exempla, ſed in unum conſpirantia. Quomodo, inquis, hoc effici poterit? aßidua intẽtione, ſi nihil egerimus, niſi ratione ſuadente, hanc ſi audire uolueris, dicet tibi. Relinque iſta, iamdudũ ad quæ diſcurritur. Relinque diuitias, aut periculum poßidentium, aut onus. Relinque corporis atq; animi uoluptates, molliunt et eneruant. Relinque ambitum, tumida res eſt, uana, uentoſa, nullum habet terminum, tam ſolicita eſt, ne quem ante ſe uideat, quàm ne ſe poſt alium, laborat inuidia, & quidem duplici. Vides autem quàm miſer ſit, ſi is cui inuidetur, & inuidet. Intueris illas potentium domos. Illa tumultuoſa rixa ſalutantium limina multum habent contumeliarum ut intres, plus cum intraueris. Præteri iſtos gradus diuitum, & magno

aggeſtu

aggeſtu ſuſpenſa ueſtibula. Non in prærupto tantum iſtic ſtabis, ſed in lubrico. Huc potius te ad ſapientiã dirige, tranquilliſſimáſque res & ſimul ampliſſimas pete. Quæcunq; uidentur eminere in rebus humanis, quamuis puſilla ſint, et comparatione humillimorum extent, perdifficiles tamen & arduos tramites adeuntur. Confragoſa in faſtigium dignitatis uia eſt. At ſi conſcendere hunc uerticem libet, cui ſe fortuna ſubmiſit, omnia quidem ſub te quæ pro excelſiſſimis habentur aſpicies. Sed tamen uenies ad ſumma per planum. Vale.

ALIA SENECAE
EPISTOLA DE VARIEtate lectionis.

EX his quæ mihi ſcribis, & ex his quæ audio, bonam ſpem de te concipio, non diſcurris, nec locorum mutationibus inquietaris, ægri animi iactatio iſta eſt. Primum argumentum bene cõpoſitæ mentis exiſtimo, poſſe conſiſtere, & ſecum morari. Illud autem uide, ne iſta lectio multorum autorum & omnis generis uoluminum, habeat aliquid uagum & inſtabile. Certis ingenijs immorari & innutriri oportet, ſi uelis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat. Nuſquam eſt qui ubique eſt. In peregrinatione uitam agentibus hoc euenit, ut multa hoſpicia habeant, nullas amicitias. Idem accidat neceſſe eſt eis, qui nullius ſe ingenio familiariter applicant, ſed omnia curſim

ſim & properanter tranſmittũt. Non prodeſt cibus, nec corpori accedit, qui ſtatim ſumtus emittitur. Nihil æque ſanitatem impedit quàm remediorum crebra mutatio. Non uenit uulnus ad cicatricem, in quo crebra medicamenta tentantur. Non conualeſcit planta, quæ ſæpius transfertur, Nihil tam utile eſt, quod in tranſitu proſit. Diſtrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere non poßis quantum habueris, ſat eſt habere quantum legas. Sed modo, inquis, hunc librum euoluere uolo, modo illum, faſtidientis ſtomachi eſt multa deguſtare, quæ ubi uaria ſunt & diuerſa, coinquinant non alunt. Probatos itaq; ſemper lege, & ſi quando ad alios diuerti libuerit, ad priores redi. Aliquid quotidie aduerſus paupertatem, aliquid aduerſus mortem auxilij compara, nec minus aduerſus cæteras peſtes. Et cum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die cõcoquas. Hoc ipſe quoque facio, ex pluribus quæ lego, aliquid apprehendo hodiernum, Hoc eſt, quod apud Epicurũ nactus ſum (ſoleo enim & in aliena caſtra tranſire, non tanquam transfuga, ſed tanquam explorator) Honeſta, inquit, res eſt, læta paupertas: Illa uerò nõ eſt paupertas, ſi læta eſt. Cui enim cum paupertate bene conuenit, diues eſt. Non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. Quid enim refert quantũ illi in arca, quantum in horreis iaceat, quantum paſcat, aut fœneret, ſi alieno imminet, ſi non acquiſita, ſed acquirenda computat? Quis ſit diuitiarum modus quæris. Primus habere quod neceſſe eſt, proximus quod ſat eſt. Vale.

PLINII

PLINII IVNIORIS EPISTOLA DE EXercitio ſtyli ex libro VII.

QVæris quemadmodũ in ſeceſſu, quo iamdiu frueris, putem te ſtudere oportere, utile in primis, & multi præcipiunt, uel ex Græco in Latinum, uel ex Latino uertere in Græcum, quo genere exercitationis proprietas, ſplendórq; uerborum, copia figurarum, uis explicandi, præterea imitatione optimorum ſimilia inueniendi facultas paratur. Simul quæ legentem fefelliſſent, transferentem fugere non poſſunt, intelligentia ex hoc, & iudicium acquiritur, nihil obfuerit quæ legeris hactenus, ut rem, argumentúmq; teneas quaſi æmulũ ſcribere, lectiſq; conferre, ac ſedulò penſitare, quid tu quid ille cõmodius, magna gratulatio, ſi nõnulla, tum magnus pudor, ſi cuncta ille melius, licebit interdum & notiſsima eligere, & certare cum electis: audax hæc, non tamen improba, quia ſecreta contentio, quanquam multos uidemus eiuſmodi certamina ſibi cum multa laude ſumſiſſe, quóſq; ſubſequi ſatis habebant, dum non deſperant anteceſsiſſe. Poteris & quæ dixeris, poſt obliuionem retractare, multa detinere, plura tranſire, alia interſcribere, alia reſcribere, laborioſum iſtud, & tædio plenum, ſed difficultate ipſa fructuoſum recaleſcere ex integro & reſumere impetum fractum, omiſſúmq;. Poſtremo noua uelut membra peracto corpori intexere, nec tamẽ priora turbare. Scio nunc tibi eſſe præcipuum ſtudiũ

orandi,

orandi, ſed non ideo ſemper pugnacem hunc, & quaſi bellatorium ſtylum ſuaſerim. Vt enim terræ uarijs mutatiſque ſeminibus, ita ingenia noſtra, nunc hac, nunc illac meditatione recoluntur. Volo interdum aliquem ex hiſtoria locum adprehendas, uolo Epiſtolam diligẽtius ſcribas. Nam ſæpe in orationes quoque non hiſtorica modò, ſed propè Poëtica deſcriptionum neceßitas incidit, & preſſus ſermo, puríſq; ex Epiſtolis petitur. Fas eſt & carmine remitti, non dico continuo & longo (id enim perfici niſi in ocio non poteſt) ſed hoc arguto & breui, quòd aptè quãtáslibet occupationes, curáſque diſtinguit. Luſus uocantur, ſed hi luſus non minorem interdum gloriam, quàm ſeria conſequuntur, atq; adeo, cur enim te aduerſus non uerſibus adhorter?

Vt laus eſt ceræ mollis, cedénſque ſequatur,
Si doctos digitos, iuſſáque fiat opus.
Et nunc informet Martem, caſtámq; Mineruam,
Nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum.
Vtq; ſacri fontes, non ſola incendia ſiſtunt,
Sæpe etiam flores, uernáq; prata lauant.
Sic hominum ingenium flecti, duciq; per arteis,
Non rigidas docta mobilitate decet.

Itaq; ſummi Oratores, ſummi etiam uiri ſic ſe, aut exercebant, aut delectabant, imò delectabant, exercebántq;. Nam mirum eſt, ut his opuſculis animus intẽdatur, remittatur. Recipiunt enim amores, odia, iras, miſericordiam, urbanitatem, omnia deniq;, quæ in uita, atq; etiã in foro, cauſiſq; uerſantur. Ineſt his

quoque eadem, quæ alijs carminibus utilitas, quòd metri neceßitate deuincti ſoluta oratione lætamur, & quòd facilius eſſe comparatio oſtendit, libentius ſcribimus. Habes plura etiam fortaſſe, quàm requirebas. Vnum tamen omiſi, non enim dixi, quæ legenda arbitrarer, quanquam dixi, cum dicerem, quæ ſcribenda, tu memineris, ſui cuiuſque generis autores diligenter eligere. Aiunt enim non multa legenda eſſe, ſed multum. Qui ſint hi, adeo notum, prouocatúmque eſt, ut demonſtratione non egeat, & alioqui tam immodicè Epiſtolam extendi, ut dum tibi quemadmodum ſtudere debeas, ſuadeo, ſtudendi tempus abſtulerim: quin ergo pugillareis ſumis, et aliquid ex his uel iſtud ipſum, quod cœperas ſcribis.

Vale.

EPISTOLÆ CONTRARIAE PICI PRO BARBARIS PHILOSOPHIS, ET HERMOLAI

lai noua ac ſubditicia, quæ reſpondet Pico.

EDITÆ CVM DISPOSITIONE PHILIPPI

Melanchthonis, quia continent illuſtria exempla Dialectices, quæ adoleſcentibus ad intelligenda præcepta, plurimum conductura uidentur.

ORNATISSIMO VIRO D. IVSTINO GOBLERO,

Conſiliario Illuſtriſſ. Principis D. Erici Ducis Brunſuicenſis &c. Franciſcus Vinarenſis S. D.

TANTAM VIM HABET hoſpitij coniunctio apud bonos, ut ſanctiſsimo fœdere animos copulet. Itaq; etſi noſtra in te officia uoluntate noſtra minora fuerunt, tamen facis humaniſsimè, quòd memoriam noſtri ſumma cū beneuolentia retines. Ego uerò te & complectendū & amandum duxi, cum propter eximiam humanitatem ac ſuauitatem ingenij tui, tum uerò quia uidebam te, quanquam ratio muneris tui cogit te in forenſi doctrina uerſari, tamen mirificè amare atq; admirari eloquētiæ ſtudia, quæ etiamſi nihil afferrent utilitatis, ut indocti quidā falſò putāt, ad leges intelligendas, tamen ornamentū in homine nullū, meo iudicio, maius neq; illuſtrius eſſe poteſt, quàm elegans & apta oratio. Atq; ut eos, qui hoc ornamentū nō intelligunt, uix hominum appellatione dignos eſſe cenſeo, ita contra eloquentiæ ſtudioſos magnopere amo, eóſq; uerè philoſophari iudico, quòd & uideāt quid ſit homine præcipuè dignum, & uera bona mirentur atq; expetāt. Etſi enim multæ ſunt cauſſæ, cur eloquentiæ ſtudiū uulgò negligatur, tamen hanc præcipuam eſſe ſtatuo, quòd pauci tantum iudicio ualēt, ut uim ac dignitatem artis omnium reginæ intelligāt. Atq; hæc memini etiam coràm nos diſputare. Itaq; cū nuper

*nuper reſcripſiſſem Epiſtolæ Pici, in qua uitupera-
tur eloquentia, uenit mihi in mentem illius tui iucun-
diſsimi ſermonis. Quare duxi hanc meam declamati-
unculam potiſsimum tibi mittendam eſſe, uelut xe-
nium, ut intelligeres me quoq; memoriam noſtri con-
greſſus ſumma fide retinere. Et arbitrabar hoc xeni-
um propter argumentũ neq; alienum tuis ſtudijs neq;
ingratũ fore, etſi non ignoro me nihil minus præſti-
tiſſe, quàm quòd ibi diſputo, efficiendum eſſe in dicen
do, ut rerum magnitudinem æquet oratio. Ego uerò
uix extremas lineas duxi maximi operis, tantũ abeſt
ut abſoluerim. Hermolaus recitat quaſdam ſuas pu-
gnas, hoc ne agit quidem ut refellat Pici argumenta.
Et haud ſcio an iudicio cauſſam ſuam peragere nolue
rit, quòd uideret eam non magis Epiſtolæ conuenire,
quàm ſi quis in exigua tabella ingentem coloſſum ue-
lit pingere, quod cum ipſe animaduerterem, cœpi e-
tiam languidiore animo ſcribere, & quaſi repreſſo
curſu reſtiti, ac breuiter oſtendi fontes argumen-
torum Pici, ut ab adoleſcentibus iudicari fa-
cilius poßit, ubi ille quaſi extra uiã
currat, dum in abſurda ma-
teria tuenda ludit.*

Bene uale.

IOANNES PICVS MIRANDVLA HERMOLAO BARBARO SVO S. D.

EGO QVIDEM, MI * Hermolaë, nec poſſum aut tacere, quæ de te ſentio, aut non ſentire ea quæ de illo debeant, in quo omnia ueluti ſingula ſumma reperiantur. Sed utinam eſſet is meæ mentis captus, ut pro meritis tuis de te ſentirē, utinam ea dicendi uis, ut exprimere aliquando poſſem, quod ſemper ſentio, ſcio quæ de te concepi, infinitum ſubſidere infrà faſtigia doctrinæ tuæ, ſcias & tu quæcunq; loquimur, minora eſſe ijs, quæ concipimus, tam deeſſe ſcias animo uerba, quàm rebus animus deeſt. Et tamen ita me audere credis, ut ſperem poſſe imitari tua, quorum nec magnitudinem æſtimare poſſum. Admirari te poſſunt omnes, imitari tam pauci poſſunt, quàm nemo reprehendere. Et utinam ea mihi fēlicitas, ut quæ ſcribă, Hermolaum meū aliqua ex parte imaginĕtur. Ipſe enim (ut taceam cætera) ſtylus tuus, cui tu adeo malè faues mirū quantum me afficiat atq; delectet, ita eſt doctus, grauis, cŏpoſitus, eruditus, excuſſus, ingenioſus, in quo nihil expoſitū, nihil uulgatū, nihil ſit triuiale, ſeu uerba, ſeu ſententias ſpectes. Legimus ſæpe ego & noſter Policianus, quaſcūq; habemus tuas, aut

ad

ad alios, aut ad nos Epiſtolas, ita ſemper prioribus certant ſequentia, & nouæ fertiliter inter legendū effloreſcunt Veneres, ut perpetua quadam acclamatione interſpirandi locū non habeamus. Sed mirū dictu, quàm perſuadeas, et legentis animū quocunq; uelis impellas. Expertus ſum ego, cū ſemper aliâs, (*) tum hac proxima tua ad me Epiſtola, in qua dum barbaros ſuos philoſophos inſectaris, quos dicis haberi uulgo ſordidos, rudes, incultos, quos nec uixiſſe uiuētes, nedū extincti uiuant, & ſi nunc uiuant, uiuere in pœnā & contumeliam. Ita hercules ſum cōmotus, ita me puduit, piguítq; ſtudiorum meorū, (iam enim ſexenniū apud illos uerſor) ut nihil minus me feciſſe uelim, quàm in tam nihili facienda re, tam laborioſè cōtendiſſe. Perdiderim ego, inquā, apud Thomam, Ioannem Scotū, apud Albertum, apud Auerroēm meliores annos, tantas uigilias, quibus potueris in bonis literis, fortaſſe nōnihil eſſe. Cogitabam mecū, ut me cōſolarer, ſi qui ex illis nūc reuiuiſcant, habituri ne quicquam ſint, quo ſuam cauſſam argumentoſi alioqui homines ratione aliqua tueātur. Demū ſuccurrit ex ipſis quempiam paulò facundiorē, ſuam barbariem, quàm poterit minime barbarè, hunc in modū fortaſſe defenſurū: ☞ uiximus celebres ô Hermolaē, & poſt uiuemus nō in ſcolis Germanicorū, & pædagogijs, ſed in Philoſophorū coronis, in conuentibus ſapientum, ubi nō de matre Andromaches, non de Niobes filijs, atq; id genus leuibus nugis, ſed de humanarū diuinarúmq; rerū rationibus agitur et diſputatur, in quibus meditandis, inquirēdis et enodādis, ita ſubtiles, acuti, acréſq; fuimus, ut anxij quādoq; nimiū et moroſi fuiſſe

forte uideamur, ſi modo eſſe moroſus quiſquam aut curioſus nimiò plus in indaganda ueritate poteſt. † Atque in his quidem ſi quis nos arguat hebetudinis & tarditatis, age amabo quicũq; is eſt, pedem conferat, experietur habuiſſe barbaros, non in lingua, ſed in pectore Mercurium, non defuiſſe illis ſapientiam, ſi defuit eloquentia, quam cum ſapientia non coniunxiſſe, tantum fortaſſe abeſt à culpa, ut coniunxiſſe ſit nephas. (a) Quis enim cincinnos, quis fucum in proba uirgine non damnet? Quis in Veſtali non deteſtetur? (b) Tanta eſt inter Oratoris munus & Philoſophi pugnantia, ut pugnare magis inuicem non poßint. Nam quod aliud Rhetoris officium, quàm mentiri, decipere, circumuenire, præſtigiari? Eſt enim ueſtrum, ut dicitis, poſſe pro arbitrio in candida nigrum uertere, in nigra candidum, poſſe quæcunq; uultis tollere, abijcere, amplificare, extenuare dicendo, demũ res ipſas magicis quaſi, quod uos iactatis, uiribus eloquẽtiæ in quam libuerit faciem, habitúmq; transformare, ut non qualia ſunt ſuopte ingenio, ſed qualia uolueritis non fiant quidem, ſed cum non ſint, eſſe tamẽ audientibus appareat. Hoc totũ eſt nequicquam aliud, quàm merũ mendacium, mera impoſtura, merum præſtigium, cũ à natura rei ſemper uel augendo excedat, uel minuendo deficiat, & fallacem uerborum concentum, ueluti laruas & ſimulacra prætendens, auditorũ animos blandiendo ludificet. Erítne huic cũ Philoſopho affinitas, cuius ſtudium omni in cognoſcẽda, & demõſtranda cæteris ueritate uerſatur? Adde quod nobis nulla erit fides, lautitias uocũ, et Veneres affectantibus, quaſi rebus parũ fidentes, nec uerò ni-

xi tra-

xi trahere in ſententiam his lenocinijs homines quæramus. Eſt ob hanc cauſſam legere res ſacras rusticè potius, quàm eleganter ſcriptas, quòd nihil ſit magis dedecens, et noxiũ in omni materia, in qua de uero cognoſcendo agitur, quàm uniuerſum illud dicendi genus elaboratũ (c) Hoc hoc forenſium eſt quæſtionũ, non naturalium atq; cœleſtium. Non eſt eorum qui in Academia, ſed qui Republica illa uerſantur, in qua quæ fiunt quæq; dicuntur populari trutina examinãtur, apud quem flores fructibus longè præponderãt. Non neſcis illud? non omnibus omnia pari filo conueniunt. Eſt elegans res, fatemur hoc, facundia, plena illecebræ, & uoluptatis, ſed Philoſopho nec decora nec grata. Quis mollem inceſſum, argutas manus, ludibũdos oculos in hiſtrione & ſaltatore non probet? In ciue, in Philoſopho, quis nõ improbet, arguat, abominetur? Si puellam uiderimus moribus lepidam, atq; dicaculam, laudabimus, exoſculabimur. Hæc in matrona damnabimus & perſequemur. (d) Non ergo nos, ſed illi inepti, qui ad pedes Veſtæ agũt Bachanalia, qui grauitatem Philoſophicarũ rerum, & caſtitatem ludicris ueluti, & calamiſtris dehoneſtant. Profectò quod Sineſius de adoleſcente, de oratione dici cõmodè poteſt, comatam orationem ſemper cinædam. Quare nos noſtrã, malumus hirtam, globoſam, inexpeditam, quàm cum impuritatis, uel nota, uel ſuſpitione bellè comatam. Alioqui Palladis peplum non reuelaret, ſed à ſacris uti prophana repelleretur. Et ut nihil ſint reliqua, hoc eſt uerißimum, nihil eſſe diuerſum magis ab inſtituto Philoſophi, quacunq; in re, quàm quod luxum, aut faſtum aliqua ex parte ſapit. Sicionios

nios calceos, habiles, aptóſq; ad pedem dicebat Socrates, ſed Socrati non conuenire. Omnino non cadẽ ratio ciuilis habitus & Philoſophici, ſicut neq; menſæ neq; ſermonis. Vtitur his Philoſophus duntaxat ad neceßitatem, utitur ciuilis homo etiam ad gratiam, quam & hic ſi neglexerit, non ciuilis, & ille affectauerit, non erit Philoſophus. Si poſſet Pythagoras uiuere ſine cibo, holeribus etiam parceret, ſi ſua ſenſa aſpectu, aut demum minore, quàm ſermonis opera explicare, omnino non loqueretur, tantum abeſt ut linguam poliat, & exornet. Quod uel ob id cauendum nobis, ne illectus cute medicata, lector demoretur ad eam, ad medullam, & ſanguinem non peruadat, quẽ ſubeſſe ſæpe ceruſſato ori infectum uidimus. Vidimus inquam in hiſce omnibus quibus propterea uſu uenit, cum nihil ſit intus non inane, & uanum, detinere lectorem in prima facie modulatu uario, atq; cõcentu. (e) Quod ſi fecerit Philoſophus, clamabit Muſonius non Philoſophum loqui, ſed tibicinem canere. Non ergo nobis uitio detur id non feciſſe, quod feciſſe uitium erat. Quærimus nos quid nam ſcribamus, non quærimus quomodo, imò quomodo quærimus, ut ſcilicet ſine pompa, & flore ullo orationis, quam nolumus ut delectabilis, uenuſta et faceta ſit, ſed ut utilis, grauis, & reuerenda, et maieſtatẽ potius ex horrore, quàm gratiam ex mollitudine conſequatur. Non expectamus theatri plauſum, quòd aures demulſerit æquabilis clauſula, uel numeroſa, quòd hoc ſit ſalſum, illud ſit lepidum. Sed expectamus paucorum potius præ admiratione ſilentium introſpicientium penitus aliquid, aut de naturæ aditis erutum, aut de Iouis aula

ad

ad homines adductum, tum uel aliquid ita argutum ut defendendi, ita defenſum ut arguendi non ſit locus. Admirentur præterea nos ſagaces in inquirendo, circumſpectos in explorando, ſubtiles in cõtemplando, in iudicando graues, implicitos in uinciendo, faciles in enodando. (f) Admirentur in nobis breuitatem ſtyli, fœtam rerum multarum atq; magnarum ſub expoſitis uerbis remotiſſimas ſententias, plenas quæſtionum, plenas ſolutionum, quàm apti ſumus, quàm bene inſtructi ambiguitates tollere, ſcrupos diluere, inuoluta euoluere, flexanimis ſyllogiſmis & infirmare falſa, & uera confirmare. His titulis ô Hermolaë (g) uindicauimus huc uſque, & uindicaturos poſthac, ab obliuione memoriam noſtram non dubitamus. Quòd ſi uulgo (ut dicis) habemur ſordidi, rudes, inculti, hoc nobis ad gloriam eſt, non ad contumeliam. Vulgo non ſcripſimus, ſed tibi, & tui ſimilibus. Nec aliter quàm priſci ſuis ænigmatis & fabularum inuolucris, arcebant idiotas homines à myſterijs. (h) Et nos conſueuimus abſterrere illos à noſtris dapibus, quas non polluere non poſſent amariori paulũ cortice uerborum. Solent & qui Theſauros occultare uolunt, ſi non datur ſeponere, quiſquilijs integere, uel ruderibus, ut prætereuntes non deprehẽdant, niſi quos ipſi dignos eo munere iudicauerint. Simile philoſophorum ſtudium celare res ſuas populum, à quo cum non probari modò, ſed nec intelligi illos deceat, non poteſt non dedecere, habere aliquid, quæ ipſi ſcribunt theatrale, plauſibile, populare, quod demum multitudinis iudicio accommodare ſe uideatur. Sed uis effingam Idæam ſermonis noſtri, ea eſt ipſiſſima,

(i) quæ

(i) quæ Silenorum noſtri Alcibiadis. Erant enim horum ſimulacra hiſpido ore, tetro & aſpernabili, ſed intus plena gemmarum, ſuppellectilis raræ & precioſæ, ita extrinſecus ſi aſpexeris, feram uideas, ſi introſpexeris numen agnoſcas. At inquies, non ferunt aures nunc aſperam, nunc hiulcam, ſemper inconſonam texturam. Non ferunt barbara nomina, ipſo etiam penè timenda ſono. O delicate cum accedis choraulos et citharædos, pone te in auribus, cū uerò philoſophos, auoca à ſenſibus, redeas ad te ipſum in animi penetralia, mentiſq; ſeceſſus. Aſſume illas Tyanei aures, quibus, cum omnino non erat in corpore, non terreſtrē Marſiam, ſed Apollinem cœleſtem, diuina cithara uniuerſi melos ineffabilius temperantem modis exaudiebat. His auribus philoſophorum uerba ſi delibaueris, mellea tibi ad Neſtoris inuidiam eſſe uidebūtur. Sed hæc ſinamus nimiò plus aſſurgentia, profectò faſtidire in philoſopho ſubtiliſſimè diſputante minus cōcinnam elocutionem, non tam delicati ſtomachi eſt, quàm inſolentis. (k) Neq; eſt aliter ac ſi quem in Socrate de moribus docente offendat, aut laxus calceus, aut toga diſſidens, & ſectum prauè ſtomachetur ob unguem. Non deſiderat Tullius eloquentiam in Philoſopho, ſed ut rebus & doctrina ſatisfaciat. Sciebat tam prudens quàm eruditus homo noſtrum eſſe componere mentē, potius quàm dictionem, curare ne quid aberret ratio non oratio, attinere ad nos τὴν διαθέσει λόγον non attinere τὴν τὴν προφοράν. Laudabile in nobis habere muſas in animo, & nō in labris, ne quid in illo uel per iram ſonet, uel per libidinem eneruatius. Deniq; ne qua ſit diſcors à genuina ipſa, qua

tempe-

temperatus eſt modulabiliter harmonia, quam Plato cum intelligeret Theatrali iſta & Poëtarū ſæpe corrumpi, à Republica ſua Poëtas omnes eliminauit, gubernandam autem Philoſophis reliquit, mox certè ſi per laſciuiam diſſerendi Poëtas fuerint imitati, exilio condemnandis. At inſtabit Lucretius, & ſi non egeant per ſe Philoſophiæ commendationes amœnitate dicendi, per eius tamen adhibitionem diſsimulandam eſſe ipſarum rerū auſteritatem. Sicut Abſynthia per ſe pellunt morbos, melle tamen illinuntur, ut puerorū ætas improuida ludiſicetur, hoc fortè tibi faciendū erit ô Lucreti, ſi pueris ſcribebas tua, ſi uulgo faciendum, utiq; tibi, qui non Abſynthia modò, ſed meraciſſima toxica propinares. Sed longè alia nobis habenda ratio, qui uulgus, ut ante diximus, non allectare quærimus, ſed abſterrere, nec tetra Abſynthia, ſed nectar propinamus. (l) Sed contendet Lactantius ſatis conſtare in auditorum animos, uel ſeniorum influere potentius ueritatem & ui ſua inſtructam, & luce orationis ornatam. Si fuiſſes ô Firmiane tam frequens in ſacris literis, quàm in fictis litibus fuiſti, & hoc nō dixiſſes, & noſtra non minus bene fortaſſe cōfirmaſſes quàm deſtruxeras aliena. Dic quæſo quid mouet fortius, & perſuadet, quàm ſacrarum lectio literarum? Non mouent, non perſuadent, ſed cogunt, agitant, uim inferunt legis rudia uerba & aggreſtia, ſed uiua, ſed animata, flammea, aculeata, ad imum ſpiritum penetrantia, hominem totum poteſtate mirabili transformantia. Periclis orationibus elaboratis, et luculentis nihil ſe cōmoueri inquit Alcibiades, ſed Socratis uerbis nudis & ſimplicibus, addit etiam ſi ſint inepta,

pta, rapi in furorem, extra ſe poni, et uelit nolit faciēdum ei, quod ille præceperat. Sed quid perdo uerba in re confeſſa, ſi nō deſipit auditor, à fucato ſermone, quid ſperat aliud quàm inſidias? Tribus maximè perſuadetur, uita dicētis, ueritate rei, ſobrietate orationis. Hæc ſunt Lactanti, quæ Philoſopho fidē conciliant, ſi bonus fuerit, ſi ueridicus, ſi id genus dicēdi appetens quod non ex amœnis Muſarum ſyluis, ſed ex horrendo fluxerit antro, in quo dixit Heraclitus latitare ueritatem. At dicet quiſpiam, age amice, examinemus hæc depoſita contentione. Reuerendum quoddam, & per ſe diuinū eſt ſapientia, nec exotico quoquam eget ornatu. Sed quæ inuidia & hunc accedere? (m) Quis negat, quæ per ſe decent, ſi adornentur fieri decentiora? Ego amice hoc in pleriſq; nego, adeo multa ſunt quorum ſplendorem, ſi quid adiunxeris, elumines & non illuſtres. Ita ſunt ſcilicet ſua natura in optimo ſtatu, ut demutari ab illo niſi in peius non poßint. Marmorea domus picturam non recipit niſi opus albarium ſuperinduxeris, demas de dignitate, de pulcritudine. Non aliter & ſapientia & quæ tractantur à Philoſophis tectorio non clareſcunt, ſed offuſcantur. Quid plura? Nonne uulgatum bonas formas ceruſſa deuenuſtari? In uniuerſum quicquid pulcri ſuper imponas, celat quod inuenit, quod affert ſecū, illud oſtentat. Quare ſi quod prius fuerat, aduentitio præſtat, iacturam fecerit illud quicquid eſt, nō lucrum. Ob eam cauſſam nudam ſe præbet Philoſophia, undiq; conſpicuā, tota ſub oculos, ſub iudiciū uenire geſtit, ſcit ſe habere, unde tota undiq; placeat. Quantum de ea ueles, tantum de laude minuas, ſincerum

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0160-3

ram & impermixtam ſe haberi uult, quicquid admiſceas, infeceris, adulteraueris, aliam feceris, ſtat puncto inſectili, & indiuiduo. Quapropter nec ludendũ tropis, nec uerbis aut nimis luxuriandum, aut translatis laſciuiendum, aut factitijs audendum, in re tam ſeria, tanti diſcriminis, in qua demere, addere, demutare ſit flagitium. At inquies age damus hoc uobis, ut non ſit ueſtrum ornatè loqui, ſed ueſtrum eſt certè, quod nec præſtantis, ut Latinè ſaltem, ut ſi non floridis, ſuis tamen uerbis res explicetis. Non exigo à uobis orationẽ comtam, ſed nolo ſordidam, nolo unguẽtatam, ſed nec hircoſam. Non ſit lecta, ſed nec neglecta. Non quærimus ut delectet, ſed querimur quòd offendit. Bene habet, iam ſcilicet ad nos deficis. Sed amabo incognoſcamus, quid iſtæc ſit latinitas, quam ſolam dicitis debere Philoſophos, et non perſoluere, ſi dicendo incurrat. Exempli cauſſa à ſole hominem produci, cauſſari hominem noſtrates dicunt. (n) Clamabis actutum, hoc non eſt Latinum, hucuſq; uerè, non eſt Romanè dictum, hoc uero uerius, igitur non rectè, peccat argumentum. Dicet Arabs eandem rẽ, dicet AEgyptius, non dicent Latinè, ſed tamen rectè. Aut enim nomina rerũ arbitrio conſtant, aut natura, ſi fortuito poſitu, ut ſcilicet, communione hominũ in eandẽ ſententiam conueniente, quo ſanxerit unumquodq; nomine appellari, ita apud eos rectè appelletur, quid prohibet hoſce Philoſophos, quos nũcupatis barbaros cõſpiraſſe in unam dicendi normã apud eos nõ ſecus ſanctam, ac habeatur apud uos Romana? Illam cur rectam non appelletis, appelletis ueſtram nulla eſt ratio, ſi hæc cõpoſitio nominũ tota eſt arbitraria.

trariа. Quòd ſi dignari illam Romani nominis appellatione non uultis, Gallicam uocetis, Britannicam, Hiſpanam, uel quod uulgares dicere ſolent Pariſienſem. Cum ad nos loquentur continget eos pleraq; rideri, pleraq; non intelligi. Idem accidit uobis apud eos loquentibus, ἀνάχαρσις παρ᾽ ἀθηναίοις σολοικίζει, ἀθηναῖοι δὲ παρὰ σκύθαις. Id eſt, (o) Anacharſis apud Athenienſes ſolœciſmũ facit, Athenienſes apud Scythas. Quod ſi nominum rectitudo pẽdet ex natura rerum debemus ne Rhetores, an Philoſophos, qui rerum omnium naturam ſoli reſpectam habent & exploratam, de hac rectitudine cõſulere? Fortéq; aures reſpuunt utpote aſperula, acceptat ratio utpote rebus cognatiora. Sed quid oportuit nouare eos linguam, & ſi nati erant inter Latinos, nõ Latinè loqui? Non poterant illi ô Hermolaë dum legebant in cœlo fatorum leges, euentorum notas, ordinem uniuerſi. Legebant in elementis naſcendi uices, & obeundi, ſimplicium uires, mixtorum temperaturas. Non poterant inquam eodem tempore in Cicerone, in Plinio, in Apuleio Romanæ linguæ proprietates, leges, obſeruantias adnotare. Quærebant quid abhorrẽs, quid receptum in natura, quid à Romanis interea, non curabant. Verum enimuero iam te loco meliore ſtatuo. Do tibi eloquentiam, & ſapientiam mutuo nexu inuicem cõſpiraſſe. (p) Abiunxerũt Philoſophi ſapientiã ab eloquentia, abiunxerunt Hiſtorici, Rhetores, Poëtæ, quod deflet Philoſtratus eloquẽtiam à ſapientia. Hos tu uicturos celebri fama minimè dubitas. Illos nõ niſi in pœnã et contumeliã, uide quid agas, indeſertam mauult Cicero prudentiam, quàm

ſtultam

ſtultam loquacitatem. (q) Non quærimus in pecunia, qua moneta percuſſa ſit, ſed qua materia conſtet. Nec eſt qui purum aurum non malit habere ſub nota Teutonum quàm ſub Romano ſymbolo factitiũ. Peccant qui diſſidium cordis & linguæ faciunt, ſed qui excordes tota ſunt lingua, nonne ſunt mera (ut ait Cato) mortuaria, gloſſaria. Viuere ſine lingua poſſumus, fortè non commodè, ſed ſine corde nullo modo poſſumus. Non eſt humanus qui ſit inſolens politioris literaturæ, Nõ eſt homo qui ſit expers Philoſophiæ. Prodeſſe poteſt infantiſsima ſapientia. Inſipiens eloquentia, uti gladius in furentis manu, non obeſſe maximè non poteſt. Ergo inquies, & ſtatuæ non à figura, ſed à materia commendantur. Etſi Cherilus eadem quæ Homerus, & de eiſdem Meuius, ac Virgilius cecinîſſent, futurum erat, ut æque illi atq; iſti inter Poëtas reciperentur. Nonne uides diſparilitatem ſimilitudinis? Illud & nos aſſeueramus, à ſpecie rem æſtima, non ex ſubiecto. Eſt enim à ſpecie res id quod eſt. Sed alia ſpecie quiſquam inter Philoſophos, alia inter Poëtas recipiendus. Scribat Lucretius de Natura, de Deo, de Prouidentia. Scribat de eiſdem ex noſtris quiſquam, ſcribat Ioannes Scotus, & quidem carmine, ut ſit ineptior. (r) Dicet Lucretius rerum principia, Atomos, & uacuum, Deum corporeum rerum noſtrarum inſcium, temerè omnia fortuito occurſu corpuſculorum ferri. Sed hæc Latinè dicet & eleganter, dicet Ioannes, quæ natura conſtant, ſua materia ſpecieq; conſtitui, eſſe Deum ſeparatam mentem, cognoſcentem omnia, omnibus conſulentem. Nec propterea quòd uniuerſa etiam infima uideat, ac moderetur è

tur è ſua pace nimium dimoueri, ſed quod dici ſolet κατίοντα, μὴ καλιένοι. At dicet inſulſè, ruditer, non latinis uerbis. Quæſo quis in dubium reuocet, tam rectius Scotum philoſophari, quàm ille loquitur ornatius. Sed uide quid differant, huic os inſipidum, illi mens inſipiens, niſi Grammaticorum, ne Poëtarũ dicam decreta neſcit, ille Dei atq; naturæ: hic infantiſsimus dicendo ſentit ea, quæ laudari dicendo ſatis non poſſunt, ille fando eloquentiſsimus loquitur nefanda.

Concluſio. Hæc illi fortaſſe adferent Hermolaë chariſſ. in defenſionem ſuæ barbariæ, aut qua ſunt ſubtilitate, multò fortaſſe meliora, quorum ſententiæ nec ego planè accedo, nec ingenuo cuiquam & liberali accedendũ puto. Sed exercui me libenter in hac materia, tanquam infami, ut qui quartanam laudant, ut cum ingenium periclitarer, tum hoc conſilio, ut ueluti Glauco ille apud Platonem iniuſtitiam laudat, non ſeriò, ſed ut ad laudes iuſtitiæ Socratem extimulet. Ita ego ut eloquentiæ cauſſam à te agi audiam, in eam licentius repugnante pauliſper ſenſu, atque natura inuectus ſum, quàm ſi uel negligendam Barbaris exiſtimarem, non ab illis ad eam, quod nuper feci, ad Græcas literas, ad tuum nunquam ſatis laudatum Themiſtium penè totus defeciſſem. Quamuis, dicam liberè quod ſentio, mouent mihi ſtomachum Grammatiſtæ quidam, (ſ) qui cum duas tenuerint uocabulorum origines, ita ſe oſtentant, ita uenditant, ita circunferunt iactabundi, ut præ ſe ipſis pro nihilo habendos Philoſophos arbitrentur. Nolumus, inquiunt, haſce ueſtras Philoſophias. Et quid mirum, nec Falernum canes, ſed

nos

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0164-5

nos hac fini epiſtolam claudamus. Si decus aliquod, noménq; ſibi promeruerunt Barbari illi, ſola rerum cognitione, non eſſe facilè dictu, quem locum, quid laudum tu tibi uindices, qui ſis inter Philoſophos eloquentiſsimus, inter eloquentes, ut dicam Græcè, φιλοσοφώτατος. Florentiæ tertio Nonas Iunias.

M. CCCC. LXXXV.

HERMOLAVS BARBARVS IOANNI PICO S. D.

CVm uiderem te incredibili quodam ſtudio omnium optimarum artium flagrantem, ad uſitatam doctrinam tua ſponte ueterem Philoſophiam atq; eloquentiam adiungere, ſcripſi nuper ad te, barbaros Philoſophos uituperans, uel ut te ad meliora ſtudia incitarē σπεύδοντα, ut dici ſolet, uel ut gratularer ad optima tendenti. Itaq; cum tuum mihi de ſtudijs iudicium non ſit ignotum, etſi literæ quas modo ad me dediſti, à mea ſententia diſsidere uidentur, tamen adeo mihi non fuerunt ingratæ, ut magnæ etiam uoluptati fuerint, eò quòd non obſcuram tuæ erga me beneuolentiæ ſignificationem habent. Non enim dubito quin ſingulari erga me amore adductus, hoc certamen inſtitueris, nō ut inſcitiæ quorundam patrocinareris, ſed ut me ad hanc rationem quam probo, ornandam accenderes.

Exordium de uoluntate Pici.

Querela de difficultate.

Vtinam uerò Pice tam facilè id poſſim, quàm facilè e-rat Socrati Glauconis orationem, qui iuſtitiam uitu-perauerat, refellere. Sed hoc noſtrum certamen ini-què comparatum eſt. Etenim cum Eloquentia ſum-mis eloquentiæ uiribus abs te accuſetur, patronus ei facundior dandus erat. Ego autem & copia & orna mentis orationis omnibus abs te longè ſuperor. (t) Quare optarim te hanc tuam uim atq; ubertatem in altera parte experiri maluiſſe. Nam mihi (ut ſcis) bel lum eſt alioqui ἄσπονδον cum hoſtibus rectorum ſtudiorum, qui etſi hoc armorum genere quo tu ute-ris, non ſunt inſtructi, tamen acerrimè pugnant odio, pertinacia, & malis artibus omnis generis. Hos non uelim uel autoritate nominis tui armari, uel armis tuis aduerſus præſtantiſſimas artes inſtrui. Quod ſi tuas copias nobiſcum coniunxeris, confirmare auſim, nos breui te uelut Camillo duce, rem Romanam, depulſis Barbaris recepturos, ac ſuum artibus decus redditu-ros eſſe. Ego tamen ne modo, aut tuæ uoluntati, aut cauſſæ publicæ deſim, breuiter ad ea quæ ſcribis re-ſpondebo. Nam ſi tantam cauſſam complecti totam uellem, multis uoluminibus res agenda eſſet. Quæ e-nim materia locupletior exiſtere poteſt, quàm dice-re de dignitate atq; utilitate eloquentiæ? quantum in religionib. ac reliquis artibus, errorum hac una ex re extiterit, quòd dicendi exercitationes neglectæ atque intermiſſæ ſunt. Deinde quod fuerit argumentum ube rius, quàm ſi collatio inſtitueretur ueteris Philoſo-phiæ & huius nuper natæ Sycophanticæ, quam Bar bari iſti pro Philoſophia profitentur. Atque hæc ſi quando rurſus ocium mihi Reſpub. concedet, inſtitue re decre-

Exaggerat cauſſæ ma-gnitudinẽ.

re decreui. Nunc diluam quædam præcipua argumen
ta tuæ Epiſtolæ, non tanquam cum aduerſario dimi-
cans. ſed ἄνευ παθῶν, uelut tecum confabulans. Cũ Partitio quæ
autem in Oratione tua duo ſint loci præcipui, nam et ſit ſumma con
abſolutam rerum ſcientiam Barbaris tribuis, & con trouerſiæ.
tendis iure eos Eloquentiam aſpernatos eſſe, ſequar
tuum ordinem, ac de Eloquentia dicam antea, quàm
eò dicis in Philoſophis nõ eſſe requirendam, quia tan
tum ſapientiæ cum Eloquentia diſsidium ſit, ut con- Propoſitio.
iungi utranque nefas ſit. Quis non uidet te in materia
noua atq; abſurda ludere uoluiſſe? (u) Nam cum hæ
duæ uirtutes hominis propriæ ſint ac ſummæ, mente
res bonas perſpicere ac uidere, eáſq; dicendo explica
re & oſtendere alijs poſſe, paradoxum affers initio
Orationis tuæ, quod cum ipſa natura pugnat, nefas
eſſe Sapientiæ Eloquentiam addere. Nam uſus Sapien
tiæ planè nullus fuerit, niſi ſapienter deliberata atq;
cogitata communicare alijs poſsimus, quod cum ſine
magna quadam copia & uarietate orationis fieri non
queat, uirtutes Pice quas natura maximarum utilita-
tum cauſſa copulauit, diſtrahis. Atqui ſapientiſsimus
Poëta Homerus utriuſque uirtutis laudem ei uiro tri-
buit in quo ſapientiſsimi Principis exemplum pinge-
bat. Inquit enim de Vlyſſe, σοί δ' ἔνι μὲν μορ-
φὴ ἐπέων, ἔνι δὲ φρένες ἐσθλαί. Atq; idem Poë-
ta Neſtori tribuit orationem melle dulciorem, cuius
in dicenda ſententia ſapientiam ita prædicat Aga-
memnon, ut magnopere plures ſibi conſiliarios iſtius
ſimiles optet. (x) Quod ſi nefas eſt, ut tu defendis,
coniungere hæc, quid dices, eloquentes omnes ſine
mente, ſine pectore eſſe, ſtultos fuiſſe omnes, quorum

Eloquentia laudatur? Vlyſſem, Neſtorem. Deinde Principes illos Rerumpublicarum qui ſuo conſilio, autoritate, oratione, maximas res gubernarunt, Solonem, Periclem, Demaden, Demoſthenem, Ciceronẽ, Cæſarem, Octauium? & innumerabiles alios, quos, ſi nulla ſocietas eſt Sapientiæ cum Eloquentia, condemnas ſtultitiæ omnes. Conſtat enim hos fuiſſe eloquentiſsimos. Quid de Philoſophis ueteribus iudicandum erit? Dicemúſne hos fuiſſe indoctos, quia non ſunt confuſè, ſordidè, atq; inquinatè locuti? Platonis tanta eſt eloquentia, ut Græci dixerint, Iouem, ſi uelit de rebus diuinis diſſerere, uſurum eſſe Platonis oratione. Tanta eſt enim copia, tanta grauitas, tantus ſplendor uerborum & ſententiarum, ut uerius diuina quàm humana uox exiſtimari debeat. Ariſtotelis oratio etſi breuior eſt, tamen & propria & pura eſt, et ita abundat quibuſdam ſuis luminibus, ut Cicero eam dixerit, ſimilem eſſe flumini aurum uehenti, & interdum adeò dulcis eſt, nihil ut poßit cogitari dulcius. Vide autem, quàm ſit iniuſtum adimere ſapientiam ſummis illis principibus & Rerumpub. & doctrinæ. Per me liberum eſt tibi, amare & mirari ingenia Barbarorum. (y) Sed ſi hoc tibi concedi poſtulas, ut præferamus iſtos ſummorum hominum ingenijs, nullam aliam ob cauſſam, niſi quia ſpurcè locuti ſunt, etiam atque etiam uidendum tibi erit, ut ſententiam non ſolũ abſurdam, ſed penè crudelem auditu uerecundè tueri poßis. Ac fortaßis aliquam excuſationem res haberet, ſi ſine contumelia eloquentiæ Barbaros defenderes, ac tribueres eis ſuam quandam laudem diligentiæ, ac prudentiæ, in rebus inquirẽdis ac iudicandis,

& faterìs defuiſſe aliquid uel ipſis uel temporibus. Quid enim mirum eſt, deſiderari aliquid in hominibus, cum paucißimi ſint artifices boni omnibus ætatibus etiam in leuioribus artibus, tantum abeſt, ut in hoc ſummo genere, pariter excellere poßint omnes. Sed tu ita defendis iſtos ut eloquentiam ipſam inſecteris & planè indignam bonis ac ſapientibus uiris eſſe contendas. Itaq; etſi poſtea oſtendam non ſolum dicendi rationem Barbaris defuiſſe, ſed etiam alia, quæ tu tribuis, tamen nunc nihil de iſto genere ſcriptorum dicam, ipſius eloquentiæ patrocinium ſuſcipiam. Tota enim oratio tua, non tam defenſio eſt Barbarorum, quàm eloquentiæ uituperatio. (z) Diſputas enim eloquentiam eſſe accerſitum ornatum & fucum, qui adhiberi ſoleat aut uoluptatis cauſſa, aut etiam ad fallendos homines. Rhetorum dicis eſſe mentiri, circumuenire, & neſcio quibus præſtigijs animos decipere. Si non intelligunt, iſti tui ſcriptores, aliud eſſe eloquentiam, quàm huiuſmodi fucum, planè iam detrahenda erit eis Philoſophiæ cognitio, quam præcipuè ſibi arrogant. Non enim perſpiciunt, eloquentiā peculiarem uim ac uirtutem eſſe, utilitatis alicuius cauſſa datam hominibus, deinde non rectè definiunt, quod Dialecticis, quales ſe eſſe profitentur iſti, turpiſſ. eſt. Nam eloquentia, non eſt (ut iſti ſomniant) accerſitus cultus, ſed eſt facultas propriè ac dilucidè explicandi animorum ſenſa ac cogitationes, qua in re etiam dignitati & ueritati ſeruiendum eſt, ut apta et recta dicantur, & ut amplificentur res magnæ & eleuentur ea quæ abyci prodeſt. (A) Itaq; ut pictoris finis eſt, uerè ac propriè imitari corpora, quod cū

Quid eloquentia

difficilè ſit conſequi, non eſt obſcurum experienti. Neque ars tantum, ſed etiam magna colorum uarietas atque diſtinctio ad id requiritur. Ita Rhetoris ſiue ita uocari mauis, eloquentiæ finis eſt, ipſas animi cogitationes, quaſi pingere & repræſentare proprio & perſpicuo ſermonis genere, qua in re cum elaborabit, magna ei uarietate quaſi colorum, uerborum, ſententiarum, & figurarum, denique etiam arte quadã opus erit, ut ego quidem ſtatuo, multò maiore quàm conſumati & perfecti pictoris ars eſſe poteſt ulla. Tota igitur nobis de definitione cõtrouerſia eſt, quid ſit eloquentia, aut certè de fine, quem ad uſum hominibus eloquentia conceſſa ſit. Hac de re, ut omittam ea quæ ſunt apud Rhetores, communem ſenſum conſulito, aut certè Philoſophorum principes, Platonem & Ariſtotelem, quorum alter in Phædro, ſapienter & copioſè diſputat, & quid ſit eloquentia, & quàm neceſſaria ſit ad diuinas et humanas res explicandas. (B) Quanquam haud ſcio an Barbari iſti ne locum quidem dent Platoni inter Philoſophos. Sed Ariſtoteles in Rhetoricis eadem ſcribit. Definiunt igitur eloquentiam hi Philoſophorum principes, uim eſſe diuinitus hominum generi conceſſam, ut de magnis & neceſſarijs rebus, de religionibus, de rerum cœleſtium atq; aliarum natura, de iure ac iuſtitia, de omni uirtutis officio, propriè & perſpicuè docere alij alios poſſint. Nec ſine cauſſa dictum eſt homines ante diſperſos ac uagabundos in agris, eloquentia congregatos eſſe, ciuitates conditas, Iura, Religiones, legitimas nuptias, & cætera ſocietatis humanæ uincula conſtituta eſſe. Hæc enim profectò tenentur oratione in ciuitatibus.
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0170-8

tatibus. Hanc uim diuinam, tam neceſſariam humano generi, nihil putemus eſſe, niſi ludum ac præſtigias, quemadmodum ſcribis? Ego uerò non dubito ingratitudinis atq; impietatis accuſare omnes, qui eloquentiæ beneficia non agnoſcunt. Atq; illi ipſi Philoſophi quorum ſequor autoritatem, admonent in obſcuris et grauibus cauſsis explicandis opus eſſe, non ſolum prudentia magna, quæ res bonas peruidet, ſed etiam uia quadam & ratione docendi, & genere ſermonis, quod res de quibus dicimus planè exponere & ſubijcere oculis hominum poſsit. (C) Itaque duas artes conſtituerūt inter ſe cognatas, Dialecticen et Rhetoricen, quarum altera docendi uiam monſtret, altera doceat, quo uerborum genere res exponendæ ſint. Quis autem non uidet hæc inter ſe natura coniuncta eſſe? Quæſo enim ſi de religionibus docendi ſunt homines, ſi in iudicijs res obſcuræ & intricatæ iudici demonſtrandæ, num hæc fieri, primum ſine uia docendi, deinde ſine magna copia, uarietate, ac luminibus orationis exiſtimas? (D) Erras ſi doceri poſſe homines credis hoc genere diſputandi, quo iſti Barbari in ſcolis utuntur, quòd non ſolum populus, ſed ne ipſi quidem iniciati, ut ita dicam, inter ſeſe intelligunt. Etenim non ſolum genus uerborum nouum eſt, & ignotū populo, ſed ita confuſa ſunt omnia, ut uelut in labyrintho neq; initia neq; exitus rerum deprehendi poſſint. Et ſubinde fingunt noua ac prodigioſa ſomnia & uerborum portenta, quibus cum res nullæ ſubſint, intelligi nihil poteſt. Falſum enim eſt, ut Philoſophi dicunt ἀκατάληπτον. Itaque ſæpe cum inter ſe rixantur uidere licet ipſiſsimam imaginem illius iudicij,

dicij, de quo eſt Prouerbium, δυσκώφῳ δύσκοφος ἐκρίνετο. Et quoniam quædam picturæ, atq; eloquentiæ ſimilitudo eſt: ut enim pictura imitatur corpora, ita oratio pingit ac reddit animi ſententias, libenter ab illa arte mutuamur exempla. Quæſo te num eiuſmodi picturam probare poßis, in qua formæ confuſæ ac monſtroſæ nihil certi ſignificent aut oſtendunt ſpectatori. (E) Talem tabulam quis poſſet æquo animo aſpicere? Simillimum autem eſt huic picturæ genus dicendi in Barbaris. Sed ut illius monſtroſæ picturæ nullus eſt uſus, ita hæc obſcura oratio, quam habet utilitatem in Republica? in docendis hominibus? in regendis & explicandis religionibus? in iudicijs exercendis? denique in hac tota uita publicè ac priuatim gubernanda? (F) Quare conſtituamus id quod res eſt, elocutionem non eſſe inanem cultum, ſed neceſſarium ad cauſſas omnis generis uerè ac propriè explicandas. Ac Rhetoris eſſe, non ut tu dicis, ludere ac mentiri, ſed de maximis rebus uerè docere homines, qui etſi interdum in difficilibus caußis, figura aliqua utitur, & ut tuo utar uerbo, decipit auditores, id non minus ad officium eius uiri pertinet, qui domi Reſpublicas gubernat, quàm ad Imperatorem pertinet arte hoſtes circumuenire. (G) Hunc enim uirum qui de bonis ac neceſſarijs rebus rectè, dilucidè, & cũ dignitate quadam docet homines, Oratorem nos uocamus, quem tu Philoſophum uelis uocari, nondum ſatis intelligo. Equidẽ Philoſophum uoco eum uirum, qui cum res bonas atq; utiles humano generi didicit ac tenet, doctrinam ex ſcola atq; umbra ad uſum & Rempublicam transfert, docet homines aut de natura rerum

ra rerum, aut de religionibus, aut de regendis ciuitatibus. Deinde ut maximè Oratorem tantum reijcias in forum, tamen eas Philoſophiæ partes illi, quos tu defendis ſuſceperunt, quæ ſine eloquentia lumen habere nullum poſſunt. (H) Primum enim etſi non eſt una orationis forma, tamen ſi animorum noſtrorum cogitationes alijs communicare uoluerimus, utendum erit certò quodam genere ſermonis, quod uerbis notis & rectè iunctis, integrè atq; ordine res de quibus dicimus exponat. Id commune eſſe debet in omni orationis forma. Nam etiam illæ artes, quæ propemodũ uideri mutæ poſſunt, Arithmetica & Geometria, tamen non poſſunt percipi niſi proprijs uerbis & uia ac ratione quadam tradantur. Cæteræ uerò partes, Phyſicæ, Ethicæ, & Theologicæ materiæ, erui atq; illuſtrari ſine eloquentia, & ſine ijs artibus, quas Eloquentia continet, nullo modo poſſunt. Porrò tui illi magiſtri Thomas, ac Scotus, promittunt nobis perfectiſſ. doctrinam de Religione, déque omnibus uitæ officijs, quid præſtent, poſtea dicam, nunc tantum de genere orationis diſputo. Quid autẽ poteſt fingi ſtultius, quàm quod ſine eloquentia Eccleſiarum doctores ac uitæ duces perhiberi uolunt? ac ne quidẽ quid ſentiant, oſtendere poſſunt? In ſingulis artibus quædam propria ſunt artificum uocabula. Quare Philoſophis ac Theologis etiam ſua quædam uocabula ut Architectis ac pictoribus concedi æquum eſt. Sed interim reliquus ſermo conſtare uſitatis ac notis uerbis debet, oportet & in iungendis uerbis imitari conſuetudinem. Hæc non fiunt apud iſtos. Deinde non ſolum habent errata Grammatica, ſed neq; ſententias abſol

uunt,

uunt, neq; iudicium neq; ordinem in explicando adhibent. Poſtea amiſſa loquendi diligentia, rerum etiam iudicium amiſerunt. Finxerunt enim unà cum monſtroſis uocabulis inexplicabilia ſomnia, quibus uniuerſam Philoſophiam ac Theologiam obruerunt, ita in iſtorum doctrina uerè ſunt, ut Græci dicunt, πάντα μία κόνις. Quare non ſolum populus, ſed ne ipſi quidem, quod eſt uel maximè ridiculum, ſuas diſputationes intelligunt, ac ſolœcizant, non ut (I) Anacharſis Athenis, ut tu dicis, ſed in ſuis ſcolis. Venio nunc ad acervum (K) ſimilitudinum tuarum, quæ detrahunt Philoſophiæ, non ut tu ratiocinaris eloquentiam, hoc eſt, uerum colorem orationis, ſed ineptum ornatum. Virginem non decet fucus, at nec monſtroſa facies decet. Quid autem monſtroſius eſt Barbarorum oratione? Nam ea oratio quæ eſt optima, natiuus ſententiæ color eſt. Aliena, confuſa, & perturbata oratio, deformat & corrumpit ſententias, ac ne effingit quidem, quod debebat eſſe orationis officium proprium. Sed ſermonem inquis non aſpernor, ornatum non requiro, ut in matrona ſimplicem cultum probamus. Ne Cicero quidem plus requirit à Philoſophis, quàm purum ſermonem aptè ac dilucidè res explicantem. Sed hæc facultas hoc modo dicendi, & præcipua eloquentiæ pars eſt, & ab arte plurimum ſumit. Requirit enim ſummam prudentiam in rebus inueſtigandis, atque collocandis, copiam uerborum ampliſſimam, iudicium acerrimum in delectu. Nam cum duæ ſint propemodum orationis formæ, tenuior altera, altera grandior, non ita multum poſterior diſsimilis eſt priori, niſi quòd figuras & amplificationes crebrius

brius adhibet. Itaq; priorem formam, quæ uerecundior eſt, diſputationibus putant accommodatiorem eſſe, etſi in tanta rerum uarietate, multa in Philoſophia incidunt, de quibus etiam grandiore quodam ſono dicendum eſt, ut propius aſpici rerum magnitudo poßit. Itaq; etſi Ariſtoteles & Cicero in diſputationibus priore genere utantur, tamen interdum aſſumunt etiam alteram formam, qua quidem Plato ubique propemodum utitur. Porrò ſi Philoſophiæ etiam priorem illam formam detrahes, planè mutam reddideris. Quid enim explicare poterit, ſi ne proprio quidem & perſpicuo genere orationis utetur? Neq; uerò quiſquam ſine optima doctrina, ſine acerrimo ſtudio, ſine longa exercitatione, illud ipſum genus, quod indocti omnibus in manu eſſe putãt, conſequi poteſt. (L) Pictorem memini noſtræ ætatis Apellen, cum mihi cupidè audienti commemoraret & adoleſcentiæ ſtudia, & quem ſibi poſtea ſcopum artis propoſuiſſet, quo quaſi directam manum haberet, dicere, ſe adoleſcentem in pictura mirificam quandam ac penè prodigioſam uarietatem amaſſe geſtuum atque ornamentorum omnis generis. Nunc ſeneſcentem ſe conſulere naturam, in hanc intueri, ut eam quàm proximè & propriјßimè exprimeret, neq; ſe quod cuperet, aſſequi: quia hac proprietate nihil difficilius ſit. Neque uerò facilius eſt negocia uerbis proprijs, quàm naturam coloribus pingere. Itaque Horatius ſignificat quantum hæc res habeat difficultatis, cum ita iubet ſcribere, ut ſibi quiuis

Speret idem, ſudet multum, fruſtráq; laboret.
Auſus idem, tantum ſeries iuncturáq; pollet.

tantum

Tantum de medio ſumtis accedit honoris.

At ego ita ſtatuo, magnos Oratores qui Reſpub. gubernauerunt, quos accepimus præmetientes dicendi pericula, incredibili quodam metu ad dicendum acceßiſſe, nõ de cæteris ornamentis, ſed de hac propria rerum explicatione ſolicitos fuiſſe, quam experiebantur eſſe difficillimam. Periclem aiunt, cuius tanta fuit eloquentia, ut tonare ac fulminare dictus ſit, cum aſcendit in concionem, precari ſolitum, ne quod ſibi uerbum excideret, quod cauſſæ obeſſet. Sæpe etiam Cicero ſignificat ſe, cum timore ſummo ad dicendum accedere, cuius rei uel hoc argumentum eſſe poteſt, quòd aliquando ita lætatus eſt, iudicij die prorogato, quòd ei de cauſſa intricata dicendum erat, ut ſeruum id renunciantem libertate donauerit. Vidi ipſe homines eloquentißimos natu grandes, cum dicere iußi eſſent, toto corpore perhorreſcere. At qua de re angi putemus homines peritißimos? num de floſculis orationis, aut accerſito cultu, ut tu iudicas? Imò uerò de propria rerum explicatione ſoliciti ſunt, ne quid excidat quod dici refert, ne quid alieno loco dicatur, ne incurrant in uerba, quæ officiunt aut cauſſæ aut ipſorum exiſtimationi. Denique innumerabilia pericula ſunt. Hoc minimi negocij eſt hominibus copioſis atque exercitatis, inſignes aliquas figuras addere. Præcipuus ornatus eſt ipſa rerum propria explicatio, ut in picturis iuſta corporum lineamenta. Et tamen ſæpe magnitudo rerum poſtulat, aliquid uel attolli uel abijci, quod etiam facere natura cogit tuos illos Barbaros. Vides enim in illorum ſcriptis & ſermone, crebras amplificationes, ſed dij boni quàm inſulſas.

Quanto

Quanto ueriora & aptiora dicerent, ſi ſtudium hoc non eſſent aſpernati. Demus igitur Philoſophis uerecundam orationis formam, modò ut res dilucidè uerbis notis, rectè iunctis, ordine diſtributis integrè explicet. Benè olere mulierem ait Plautus, quæ nihil olet. Talis oratio etiam delectat ſana ingenia, non ſolum in ſcolis ac diſputationibus laudem habet, ſed etiam in foro multi hac una forma contenti fuerunt.

Et talem nobis orationem Homerus Menelaum deſcribit, quem ait ſolitum dicere, παῦρα μὲν ἀλλὰ μάλα λιγέως ἐπεὶ οὐ πολύμυθος οὐδ᾽ ἀφαμαρτεπὴς. *Tribuit enim ei et proprietatẽ, & ſuauitatem. Has uirtutes conſequi Philoſophum, ſi uelit intelligi, oportet. Quantum autem, ô dij, abſunt ab illo Homerico Menelao ueſtri Barbari, qui cum ea de re, quam ſuſcipiunt, uix unquam quidquam dicant, quod faciat* πρὸς ἔπος, *tamen plerunque extra cauſſam ſunt loquaciſsimi, ineptiarum pleni. At Cicero expreſsit nobis formam illius proprij Oratoris ac* λιγέως *dicentis, in libris de natura deorum & alijs Philoſophicis diſputationibus. Expreſsit & eam multis in locis Ariſtoteles. (M) Verum non eſt inquis Philoſophi ſeruire uoluptati. Vtinam Pice adeo contemnerent Theologi tui uoluptates cæteras, ut orationis mundiciem aſpernantur. (N) Quanquam autem nulla uoluptas homine liberaliter inſtituto dignior eſt quàm hæc, Nulla eſt enim harmonia dulcior ac naturæ hominis conuenientior, quàm oratio rerũ bonarum plena & compoſitione concinna, tamen hîc nõ diſputo, ornatũ uoluptatis ſed neceſsitatis cauſ-*

ſa adhibendum eſſe. (O) Non enim doceri de magnis rebus homines poſſunt, niſi et genus ſermonis purum, & uia quædam, & ratio explicandi, et cætera quæ in artibus traduntur, adhibeantur. Quòd uerò addis, Bacchanalia in Veſtæ ſacris agere Philoſophos eloquentiæ ſtudioſos, dicam ſimpliciter quod ſentio, ſtomachum mihi mouit. Quæ enim uoluptas eſt, contumelia afficere cum ipſam Eloquentiam, tum uerò Philoſophiæ Principes? Num Plato, Ariſtoteles, Cicero, uidentur tibi bacchanalia agere, idq; in ſacris Veſtæ? num uidentur tibicines, quia non ſunt ſpurcè locuti? Et quidem Plato longè omnes uincit tum Græcos tum Latinos Oratores, copia & ſplendore orationis. Scytha quidam cum apud Græcos Muſicum audiret ſuauißimè canentem, inquit, malle ſe audire hinnientem equum. Satis hîc quidem Scythicè, ſed bis Scythicum fuerit, nihil affici ſuauitate orationis ſummorum autorum, qui Philoſophiam nobis pepererũt. (P) Tu uerò etiam furere eos dicis. Non ſatis attendis Pice, quam ſuſtineas perſonam. Cum enim profitearis te Philoſophiæ ac ueritati patrocinari, minimè ea fide ac ſimplicitate cauſſam agis tuam, quam Philoſophis tribui poſtulas. Quorſum enim pertinent tam multæ ſimilitudines tuæ undique collectæ? quæ non ſolum extenuant eloquentiæ dignitatem, ſed planè iubent uelut peſtem fugere, niſi ut fucum lectori faciant, ne eloquentiæ dignitatem aſpicere poßit? Quæſo te utrum hæc Rhetorica ſunt an Sophiſtica? Certè à uiro Philoſophico non aptè dicuntur. Quid enim facies Theologis facundioribus Paulo, Baſilio, Hieronymo? Num hi quoq; Bacchanalia agunt? (Q) Sed

deſino

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0178-3

deſino has ſimilitudines tuas excutere, in quibus hoc commune erratum eſt, quòd elocutionem iudicas eſſe delicias quaſdam, non ad utilitatem ac neceßitatem comparatas, nos contra ornatum præcipuum eſſe, propriam rerum expoſitionem. Et tamen in tanta rerum uarietate multa eſſe, quibus ut conſpici eorum magnitudo poßit, nitor quidam adhibendus ſit, in quo etiam neceßitatem ſequimur. Seruimus enim dignitati & magnitudini rerum. Neq; ego cum ornatum laudo, illa orationis flagitia probo, quæ tu commemoras, cum de affectatis lenocinijs declamitas, qualia reprehenduntur in Apuleio, qui nihil propriè dicit, ſed habet perpetuas Periphraſes & Metaphoras. Idq́; peccat Philoſophus. Nec multò ſecus Barbari ueſtri rhetoricantur. Quanto prudentius Rhetores? in quibus tu orationis delicias in crimen uocas, cum nulli magis aſpernentur ambicioſum & inanem cultum, nulli dicant caſtius quàm hi, qui ad rectè dicendum his exercitationibus aſſuefacti ſunt. Ac uelut in roſis candor, ita in oratione Philoſophi ſimplicitas quædam inſit natiua. Et ut purpureæ roſæ Veneris ſanguine conſperſæ dicuntur, ita ornamenta ſint non prodigioſa, ſed uenuſta ac ſuauia, qualia ſunt in Ciceronis diſputationibus, ſæpe etiam in Ariſtotelicis, ut uerè poßis dicere, Ambroſia conſperſas eſſe. Sed magnis exemplis barbariem tueris. Cultus deeſt inquis in ſacris literis. Verum longè dißimilis eſt oratio in tuis Barbaris, qui planè nouum ſermonis genus condiderunt. Prophetæ in ſua lingua non loquuntur uitioſè, & uoluerunt intelligi, quidam etiam ſatis ornati ſunt. Dauidis enim carmen ut in iſta lingua uerè

Atticum eſt. Apoſtoli uerbis bonis utuntur. Paulus uerò etiam adhibet in diſputando artem & quædam ornamenta. Deinde cur diuinitus additum eſt Euangelio donum linguarum, ſi eloquentia inutilis eſt ad res ſacras & magnas exponendas? (R) Quid enim aliud eſt donum linguarum quàm eloquentia, hoc eſt facultas planè & copioſè res obſcuras explicandi? Atq; hîc accuſandi erant tui magiſtri, quòd cœleſte donum non conſeruauerunt, quòd linguarum ſtudia, quæ antea in Eccleſia colebantur, nouo doctrinæ genere oppreſſerunt. Pythagoram etiam allegas, qui myſteria texerit inuolucris. Fortaßis illi expediebat tegere quaſdam ſententias, quas docebat contra publicas perſuaſiones. (S) Nos uerò non loquimur de arcanis, quæ pro tempore occultanda ſunt, ſed de illis quæ efferri atq; extare oportet, quæ pars multò maxima eſt in doctrinis. Deinde & Symbola & Apologos conditos interpretor, non hoc conſilio ut præcepta regerent, ſed ut eſſent uelut morum picturæ, utiles ad excitandos animos, ad admirationem. Natura

IX. enim & amamus & admiramur picturas. Sed prædi

De Ariſtotele cat Ariſtoteles ſua ſcripta etſi extarent, tamen non extare. Ille uerò non hoc ſenſit, ſed de induſtria tenebras offudiſſe lectoribus. Nam plerique libri ualde perſpicui ſunt. Duas enim res adhibet, quæ perſpicuitatem inprimis efficiunt, methodum uidelicet, & genus orationis proprium. Nec uerò methodum tanta diligentia ſecuturus erat, ſi de induſtria res obſcurare uoluiſſet. Verum uidit ſua ſcripta non eſſe intellecturos, niſi qui liberaliter inſtituti eſſent. Eius iudicij multæ ſunt cauſſæ. Deterrebat igitur à ſuis ſcriptis

homines

homines ineptos qui imparati ad ea irrumpebant, quo in genere non leuiter etiam peccauerunt Barbari tui, qui nulla inſtructi liberali doctrina profitentur ſe Ariſtotelis interpretes eſſe. Poſtremò etiamſi Ariſtoteles interdum oneri cedens, ut fit, non ſatis commoratur in aliqua re explicanda, non ſemper quid quiſque artifex effecerit, ſed quid requiratur ſpectandum eſt. Quis autem eſt lector, qui non optet ubique ſummam eſſe perſpicuitatem? Poſtremò etiam philoſophari incipis. (T) Vocabula non natura conſtant, ais, ſed hominum arbitrio, licuit igitur eis condere nouum ſermonis genus. Quid audio? Si hoc ſemper licet, quomodo contrahent inter ſe homines? quomodo docere alij alios poterunt? Sed omitto hæc quæ leuiora ſunt quàm ut diluere opus ſit. (V) Venio ad alteram partem tuæ diſputationis, in qua arrogas Barbaris rerum ſcientiam, & quidem eloquentibus detrahis. Cum autem de eloquentia reſponderim, non quantum magnitudo rei poſtulat, ſed quantum uel potui, uel Epiſtolæ modus patiebatur, de altero etiam breuius dicam, & ſi hæc diſputatio multò maior ac difficilior eſt de toto genere doctrinæ in iſtis tuis autoribus. (X) Atque initio Lucretium & Scotum committis. Eſt autem iniquum cum de genere dicendi controuerſia ſit, materias conferre. Neque enim adeo amens ſum, ut inanem loquacitatem pluris faciã, quàm ſapientiam. Verum hoc defendo, Eloquentiam ad res magnas patefaciendas neceſſariam eſſe. Deinde cur non opponis Scoto Theologum aliquem, uide licet Hieronymum? Vter de Eccleſia melius meritus uidetur? Iſténe cuius eloquentia lumen attulit ſacris li

briſ, pleraque dogmata diligenter explicauit? an uerò Scotus, qui cum nullum dogma illuſtrauit, nugaciſſimas diſputationes in Eccleſiam inuexit? Deinde facis inciuiliter Pice, quòd Barbaris ita arrogas rerum ſcientiam, ut præſtantiſsimis ingenijs Græcis & Latinis detrahas, qua in re cum modeſtiam deſidero dignam Philoſopho, tum uerò etiam prudentiam. Vituperas quidquid eſt diſertorum, Poëtas, Oratores, et Hiſtoricos. Hos dicis omnes amplexos eſſe eloquentiam ſine ſapientia, cum quidem hoc ad cauſſam tuam nihil pertineret. Poteras enim (Y) tuis rerum ſcientiam, ſine horum contumelia tribuere. Sed ſic ſolent Rhetoricari, qui eloquentiæ ſtudia uituperant. Obſecro te, nihil putas eſſe ſapientiæ in Homero, Virgilio, in Demoſthene, Cicerone, in Herodoto, Liuio & cæteris, qui hos in ſcribendo imitati ſunt? (Z) An non uidentur hi tibi uerius philoſophari, cum uel naturam rerum ſapientiſsimè deſcribunt, uel ſummo conſilio pingunt imagines omnium rerum, quæ uel in priuata, uel in publica uita accidere poſſunt, cum præcepta & exempla uitæ ac morum utiliſsima proponunt, quàm Barbari tui, cum rixantur, utrum partes ſimul ſumtæ diſtinguantur realiter à toto, & hoc genus infinita? non enim libet recitare. Quid? quòd Oratores maximum uſum rerum afferunt ad ſcribendum, qui iudicia exercet atq; acuit? Quare Philoſophiam aptè ad uſum & ad communem uitam transferunt. Tui Philoſophi in umbra ne quidem uim præceptorum, de quibus rixantur, intelligunt. Sed longum eſſet de laudibus eloquentium ſcriptorum dicere, & non eſt neceſſarium. Facilè enim iudicari poteſt, abundare eos

dare eos rebus optimis & ad uitam neceſſarijs, ac ſumtis ex media Philoſophia. Redeo igitur ad Barbaros, quibus equidem non detraho in uniuerſum rerum cognitionem. Ac minimè uituperandos cenſeo Medicos, quorum ars exerceri ſine magna eloquentia poteſt, tametſi doceri à diſertis fœlicius queat. Deinde fontes ſunt apud Græcos, nec opinor à poſterioribus uinci Hippocratem & Galenum, aut acumine in inueniendo, aut diligentia in inquirendo, aut ratione aut proprietate in explicando. Sed non diſputas propriè de Medicis. Ariſtotelicos & Theologos defendis, hos habes in delicijs, horum ſapientiam admiraris. Neq; ego eos in totum doctrinæ laude ſpolio, ſtudium etiam & uoluntatem laudandam cenſeo. Videntur enim Philoſophiæ ſtudia, quæ multis ſæculis conticuerant, rurſus excitare uoluiſſe. Sed ſi ita complecteris eos, ut inchoata ſtudia abſoluiſſe exiſtimes, longè falleris. (aa) Mihi uerò magna ex parte Philoſophiam corrupiſſe uidentur, idque ob hanc cauſſam præcipuè, quòd has dicendi exercitationes neglexerunt. Itaq; non ſolum genus ſermonis, & uniuerſæ doctrinæ formam (eſt enim confuſiſſima) reprehendo, ſed etiam magna ex parte res deſidero meliores. Nam cum & genus ſermonis non intelligerent, & artes non transferrent ad uſum aliquem, iudicio lapſi, multas abſurdas opiniones genuerunt, quibus ferè uniuerſam Ariſtotelis Philoſophiam penitus obruerunt. Idq; teſtantur moles commentariorum, qui magna ex parte conſumuntur in illis ſomnijs, de natura communi, de hecceitatibus, de diſtinctionibus, de primis & ſecundis intentionibus, de inſtantibus, & ſimilibus deliramentis. Conceſſio.

liramentis. Vetus uerſiculus eſt, τὰ μηδὲν ὠφελοῦν τα μὴ πόνει μάτην. Sed hæc cum ferè ſint commentitia, non ſolum nihil afferunt utilitatis, ſed nocēt etiã, non ſolũ, quia in his diſcendis tẽporis iactura facienda eſt, ſed etiã, qa iudicia deprauãtur. Quanto ſatius erat præcepta ſimpliciter ꝓponere, & oſtendere, quē uel in iudicanda natura, uel in negocijs, uel in moribus, & cõmuni uita uſum habeãt, quomodo ea tranſtulerint ad uſum magni artifices, qd hinc Poëtæ, qd Oratores, qd alij magni uiri ſumſerint? Quantũ flagitij eſt, quòd illæ nugæ etiam ſtudia Mathematum extinxerunt? Noſti enim ſcolarum morem. Præterea uix umbra Mathematum eſt in Barbarorum ſcriptis. Omnia enim planiora atq; illuſtriora ſunt apud Græcos. Itaque excellentes noſtra ætate Mathematici Græcè diſcendum putauerunt, ut germanam Ptolomæi ſententiam, deinde ut Græcos interpretes in hoc genere conſulere poſſent. Præclarè inquit Plato de Mathematum doctoribus, facilè eas artes percipi poſſe, ſi doctor contingat idoneus. ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἂν διδάξοιεν, εἰ μὴ θεὸς ὑφηγοῖτο. Negat quenquam idoneum fore ad docendum, niſi Deum aliquem ducem habeat, hoc eſt, niſi & ſingulari ingenij dexteritate præditus ſit, & expeditam ac perſpicuam docendi rationem teneat. Sed in Barbarorum ſcriptis ita perturbata & confuſa ſunt omnia, ut hunc ducem eis defuiſſe appareat. Quare gratulemur noſtræ ætati, qua quidam & Græcis literis & eloquentia inſtructi, cum reliquam Philoſophiam, tum etiam hanc partem repurgare atq; inſtaurare cœperunt. Miror

autem

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155107-p0184-6

autem, cur Theologis tuis tantam Philoſophiæ ſcientiam tribuas, cum à Mathematicis, quæ eſt haud dubiè præcipua Philoſophiæ pars, ualde nudi atq; inopes ſint, quos quidem tu mihi producis, homines religioſos, ſatis Thraſonicè de ſe prædicantes. (bb) Viximus celebres, & uiuemus non in ſcolis Grammaticorum, ubi de Niobes filijs diſputant, ſed in coronis Philoſophorum, ubi humanarum & diuinarum rerũ rationes quærũtur. Vixerint ſanè celebres. Non enim inuideo. Illud autem optarim, de Niobes filijs eos nugatos eſſe potius, quàm iſto modo luſiſſe Eccleſiaſtica doctrina, qui cum ſacrarũ literarũ ſermonem non intelligerent, cum nullam haberent antiquitatis noticiam, cum iudicij inopia ueteres controuerſias ac ſententias non rectè acciperent, multas ſparſerunt in Eccleſia impias et pernicioſas opiniones. Quàm ſunt inepti cum interpretãtur Prophetas & Paulũ? Qua in re in primis ridiculũ eſt homines Dialecticos, quiq; in una illa arte cõſenuiſſent, nuſquam uidere, id quod erat Dialectici, quid proponat Dauid aut Paulus, quæ ſint initia argumentorũ, qui exitus. Tales interpretes in ſacris literis uerè ſunt ὄνοι ἐν μύρῳ, ut uulgo dicunt. Itaq; cum ſermonem non aſſequerentur, nouã quandam Theologiã architectati ſunt. Centones ſcripſerunt quorũ magna pars conſuta eſt ex diſputationibus puerilibus, quæ agitantur in ipſorum Dialectica. Tanta uis eſt conſuetudinis, ut puerile ſtudium ne ſenes quidem deponere poßint. Deinde aſſuunt pauca quædam dogmata Eccleſiaſtica, quæ non reprehendo. Sed quædam de maximis rebus ſceleſtè corrumpunt ipſi, in quib. nec ſcripturæ, nec Synodorũ uerba

 intelli-

intelligunt, ac ſerunt impias & fanaticas opiniones. Reliqua eſt pars, quæ habet infinitas quæſtiones, de humanis traditionibus, ut uocāt, de qua οὐδὲν ὑγιὲς *dicunt. Ac de toto hoc genere coràm tutius erit diſputare, ubi cum euoluero tuos magiſtros, res oſtendet eos uerius eſſe* πιθήκους ἐν πορφύραις, *quàm ut tu putas,* (cc) Alcibiadis Silenos. *Quòd autem eis etiam immortalitatem policeris, ac uicturos eſſe confirmas, melius ominari te uelim, &* Chriſtianæ *doctrinæ, & alijs honeſtis artibus. Eò uanitatis proceßiſſe diſputatricem* Theologiam *omnes ſani fatentur, ut reuocari ad fontes doctrinam* Chriſtianam *neceſſe ſit. Eam ad rem profutura ſunt eloquentiæ ſtudia, quæ ſi quando colere noſtri homines incipient, ſpero* Herculem *aliquem exoriturum eſſe, qui monſtris illis orbem terrarum liberet, quiq;* Philoſophiæ *&* Chriſtianæ *doctrinæ natiuum decus reſtituat. Atque adeo ad hanc laudem expetendam, excitare te* Pice *non deſinam, quem & ingenio excellere, & doctrinæ uarietate præditum eſſe, & ardere incredibili quodam ſtudio ueritatis inueſtigandæ, & eloquentia ad res tantas illuſtrandas inſtructum eſſe uideo. Nam ſi eſt hominis* Philoſophi, *ut certè eſt, in eruenda atq; patefacienda ueritate bene mereri de toto genere humano, te ueræ philoſophiæ deditum, in hanc curam maximè incumbere omni ſtudio decet, ut collapſas artes inſtaures. Neque uerò meritum ullum maius aut glorioſius ducendum eſt inter homines, cum ueritate nihil ſit melius.* ἀλήθεια γὰρ πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς ἡγεῖται, πάντων δὲ ἀνθρώποις, *ut grauißimè*

